




DIN
DISE
ASSI
CRI
2
3
231









FRANCISCI DINI
ADVOCATI
DISSERTATIO
HISTORICO-CRITICA
De Translatione, & Collocatione Corporis
S. BARTHOLOMÆI
APOSTOLI
ROMÆ IN INSVLA LYCAONIA

Seù Vindiciæ Breuiarij Romani

Aduersus Dissertationes Episcopi Mascambruni, Marij Viperæ Vicarij Capitularis Beneuentani, aliorumque Recentissimorum, ac Decreta in Concilio Beneventano coram Eminentiss., ac Reuerendiss. VINCENTIO MARIA CARD. VRSINO Archiepisc. lata.

Agitur incidenter de Translatione Corporis S. Benedicti in Galliam.

De Monachatu D. Gregorij Papæ.

Opus summo studio, eruditionibus, & grauissimis auctoritatibus, inscriptionibus, reique signis comprobatum.

Cum Indice rerum, & verborum.





VENETIIS, Typis Dominici Louisæ. M. DCC.

SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISS.^{MO} PRINCIPI
PATRONO SVO COLL.^{MO}
COSIMO III.
MAGNO ETRVRIÆ DVCI.



COgitanti mihi Sapientissime Magne Dux cui nam Dissertatio de B. Bartholomæi Apostoli reliquijs esset dicanda,

 men-

mente incidit Regia Tua Celſitudo, qui ſacratiſſimos huius cineres exacto anno palàm in Vrbe, ac vnico inter Magnates pietatis exemplo ad Iubilæum accedens veneratus es; tibique quam maximè mea omnia debere exiſtimaui, in cuius florentiſſimo, ac fœliciſſimo Dominatu natus, & à prima ineunte ætate ad Palladis ſubeundos labores a te ipſo hortatus, & inflammatus fui; ſub cuius Regijs auſpicijs cum in aciem cum tot præpotentibus Aduerſarijs venire non dubitauerim, hoc agas, vt me ab horum criticis iactationibus immunem facias, interim Magnorum Principum Maximè, Licteratorum Mæcenas, ampliſſimè Medicea munificentiæ Apex diù valeas, vt mihi, patriæque meæ Luciniani Tibi deditiſſimæ ſemper prodeſſe poſſis.

Venetiis 20. Decembris 1700.

Tuæ Celſitudinis Sereniſs.

Vmil. Dedit. & Deuinct. Seruus & Subditus
Franciſcus Dinus.

IN-

INSIGNES SCRIPTORES

Qui de Aduocato Francisco Petro Dino memoriam retinuerunt.

IAcobus Balduccius in ſuis obſeruationibus ad conſilia Ramonij tom. 3. pag. 59. num. 4. hæc habet: *quæ ordinatio confirmata fuit ſententia Domini mei in Auditoratu Monæci Succeſſoris Franciſci Dini de Liciniano ſapientia, & morum honeſtate nemini ſecundi.*

Ant. Vinc. Franc. de Balderéſchis in notis quas edidit ad librum eiuſdem Franciſci Dini *Antiquitatum Etruriæ, & de ſitu Clanarum. Antiquitates Etruriæ D. Franciſci Dini Aduocati Senenſis plurima leguntur eruditiome, grauibuſque ſententiis conflatæ pluribuſque in locis Taciti ſtylus imitatus fælicitèr, cenſui quædam adnotare nixus Scriptoris auctoritate cum de D. Dyno alia plura extent monumenta, ingenio, ac labore compacta, nempe plures orationes, Poemata, carminumque volumen Typis edendum, conſilia legalia, ac deciſiones, quæ manibus Iuriſperitorum obſeruantur, ac binæ eiuſdem D. Dyni deciſiones in ordine 96. & 97. referuntur per ſummum legum Doctorem D. Iacobum Balduccium ipſius in Auditoratu Monæci Prædeceſſorem poſt obſeruat. ad conſilia Ramonij t. 4. meminitq; honorificentiùs t. 3. p. 59. & in* Indice *v. iudicium, & v. conuentic.*

Marcus Antonius Guigues Gallicus Eccleſiaſticus in ſua Sphera Geographico Cœleſti hoc anno 1700. Romæ cuſa p. 4. c. 33. n. 2. hæc habet. Mà gli altri verſi ſono del celebre Dottore Franceſco Dini di Lucignano di Valdichiana nella Toſcana, il quale doppo auer eſercitato con ſomma ſua lode le Preture del Ducato di Camerino, del Gouerno di Ieſi, la Prefettura di Norcia, gli Auditorati di Beneuento, di Rieti, della Legatione di Romagna, e del Principato di Monaco, eſercita ora l'Auocatione nella Curia Romana &c. par. 4. cap. 33. pag. 277. e però il già ſopramentouato Dottor Franceſco Dini di Lucignano, vno de più begl'ingegni della Toſcana, non che ſolo la gloria della ſua patria, e perciò degniſſimo dell'elogio fattogli (trà gl'altri) così dal Baldereſchi, come dall'erudita, & ingegnoſa penna del Balducci ſtato ſuo Anteceſſore nell'Auditorato di Monaco tom. 3. p. 59. n. 4. In vedendo l'Epigramma del Beza ha quindi pigliata occaſione di comporre vn bello, e ſpiritoſo Poema &c.

Æmi-

Æmilius Nobilius Prior Æsinas in suo Epigrammate Senogalliæ ante opus eiusdem Dini cuso meminit de poetica descriptione, per eundem Dinum facta Ciuitatis, & Comitatis Æsini, quæ cum alijs Auctoris Carminibus Latino, & Etrusco sermone elegantissime consertis habes in libro cui titulus *Le Nozze Dandine* impresso Senogalliæ anno 1693. par. 1. & 2.

Idem recollectis eiusdem Dini varijs Carminibus in Bibliotheca Angelica Vrbis Cœnobij S. Augustini ad vtilitatem publicam, alibique asseruatis plura aggerat elogia, vbi eiusdem Dinæ familiæ Genealogia etiam per Balderescchum describitur.

In eodem libro nuptiarum Dandinarum Reu Pesaresius vocat pag. 21. eundem Dinum Aduocatum Senensem, & eius auctoritate vtpotè celebris Antiquarij vtitur.

Edidit idem Franciscus Dinus Obseruationes Historico-Criticas in Actis S. Venantij, ac 1525. Martyrum Camerinensium: Vindicationes Actorum S. Venantij, ac Sanctorum Meletij, ac Sociorum Marcianæ, Susannæ, Palladiæ &c. aduersùs P. Danielem Papebrochium Soc. Iesu in duobus libris excusa Venetiis 1700.

Edidit Dissertationem Historico-Criticam de antiquitatibus Vmbrorum, Thuscorum, Camertumque origine aduersùs Sigonium, Cluuerium, Papebrochium &c. Venetijs 1701.

Hoc anno 1700. typis demandabuntur ejusdem Francisci Dini libri sex carminum, nimirum Fastorum, ac variarum materiarum; Item & alia volumina &c.

De eodem honorificentissimè meminit insignis Scriptor P. Mag. Vincentius Coronellus Ord. Min. in suo Magno Dictionario M. S. Verbo Dini.

Ac D. Franciscus Sequanicus in Collect. Scriptorum illustrium.

In lau-

In laudem Authoris eruditissimi, æque ac curiosissimi libri, cui titulus est: De Translatione, & collocatione S. Bartholomæi.

EPIGRAMMA.

Ossa vbi sint Sancti nunc scitur Bartholomæi,
Esseque nunc Romæ sat mea Sphæra docet.
Sed Beneuentani quid dicent inclyte Dine,
His tuus iste liber cum quoque notus erit?
Tam doctè, clarèque probas hæc condita in Vrbe,
Vix quid vt in terris certiùs esse queat.
Cumque senescentis iam fiat fabula Mundi,
Qui quod habere nequit computat esse suum.
Si Beneuentani sapiant, magis inde tacebunt,
Ne magis his noceat quàm tacuisse, loqui.
Nam si tale sacri penes hos sit pignus amoris,
In duplici ergo loco Bartholomæus erit.

Marcus Antonius Guigues Gallicus Ecclesiasticus.

In historias Thuscorum, Vmbrorum, nec non Dissertationum pro SS. Bartholomæo, ac Venantio editarum per D. Franciscum Dinum Aduocatum, laudatur origo, ac eiusdem Patria olim Colonia Sillana, vt ex vetustissimo lapide Luciniani adhuc existente, in Loco à pluribus æque viso, ac fideliter relato eruitur.

EPIGRAMMA.

Reu. Aloysii Ant. Monticelij.

TE Francisce parit Sillana Colonia prisca
Patritios Proauos Sena vetusta tulit
Historias veri studio describis, & vrnam
Qua modò Venantus, Nathanaelque cubant;
Ille est Romanus Camerini culmine passus
Hic fit Romanus, membraque Roma fouet.
Hique fauent, sine labe nitens odia aspera vincis.
Et post fata Stygem vincere possedabunt.

NOI

NOI RIFFORMATORI
DELLO STVDIO DI PADOVA.

HAuendo veduto per la fede di reuiſione, & approbatione del P.F. Raimondo Aſperti Inquiſitore nel libro intitolato: *De Translatione, e Collocatione Corporis Sancti Bartholomæi Apoſtoli in Lycaonia Reſponſio Apologetica*, non eſſerui cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza che poſsi eſser ſtampato, oſseruando gl' ordini in materia di ſtampe, e portando le ſolite copie alle publiche librarie di Venetia, e di Padoua.

Data li 16. Nouembre 1700.

(Aluiſe da Moſto Proc. Riff.

(Ferigo Marcello Proc. Riff.

(

Agoſtin Gadaldini Segr.

DE



DE TRANSLATIONE, ET COLLOCATIONE CORPORIS S. BARTHOLOMÆI

Dissertationis Historico-Criticæ.

CAP. I.

§. I.



QVæstio de Corpore S. Bartolomæi Apostoli, quo loco, vèl Vrna reconditum extet modò, à Sacra Rituum Congregatione, ex certa Sanctissimi Scientia, publica auctoritate discussa, ac definita est, ferè omnium consensu Scriptorum tradentium, Othonem II. capta Beneuenti Civitate Corpus Beatissimum indè Romam detulisse, Othonem verò III. extructa S. Adalberti Ecclesia in Insula Tiberina, exindè S. Bartholomæi dicta, depositum collocasse.

Quam historicam veritatem solidissimis auctorita-

tibus hucusquè inconcussam, quorundam opinionibus, argumentisque ingeniosè conquęsitis præuertere conantur post Episcopum Mascabrunum recentiores Beneventani, minus æquè ferentes Corpus Beatissimum antiquitùs in ea Basilica Beneuentana repositum venerari Romæ, quòd aiunt apud Beneuentum repertum Anno 1698. recognitum, & in vrna porphiretica cura, ære, & eximia charitate Eminentissimi Archiepiscopi Vincentij Mariæ Cardinalis Vrsini Congregato Concilio Prouinciali reconditum ad perennitatem.

Horum duæ dissertationes mihi rtansmissæ sunt; Prima latinæ elocutionis ...... ad preces Claris. Consulum typis commissa, in qua ex pluribus Auctoribus deduci prætenditur existentia S.Corporis in Ecclesia Beneuentana, & huius singulis verbis præ viribus responsionem adijcere operæ pretium est. Altera Italico Sermone excripta, quam Anno 1695. protulit I. C. Basilius Iannellus, dicens se omnia desumpsisse ex præfata dissertatione Latina, superadditis per eumdem Iannellum ad narrationum exornationem quibusdam aliis elucubrationibus, harum præcipua respicit acta S. Venantii per Basilium facilè inter fabulas disiecta, mutuatis, & ad litteram transcriptis P.Danielis Papebrochij, alioquìn versatissimi, opinionibus nullo Auctore suffultis, aduersantibus traditioni, antiquis Lectionarijs, Ecclesiæ sanctionibus, priscisque veterum vocabulis, nominibus Papæ, ac Imperatoris in difformem sensum retortis; toto nixus ingenio Breuiarij Romani auctoritatem vbique veneratam, vt fallibilem prosternere, inquiens in eodem æquè asseri improbabiliter, Corpus S. Bartholomæi in Insula Vrbis Lycaonia, modo S. Bartholomæi dicta, in ara maiori recondi: Et summoperè ægretulerunt Nobiles Camerinenses contrariam opinionem à Martyrologijs, ac Breviarij definitionibus adeò difformem inter Flandro-Belgas remotissimos recentèr natam auctore Papebrochio Beneuentanos tàm propè Vrbem sitos primos probasse, & typis in sua Ciuitate protulisse, superadditis reperitione,

ne, ac recognitione prætensi Corporis S. Bartholomæi, quæ in alia ex Italicis non ita facilè in lucem Typographi euulgassent, ob veneratas vbique Breuiarij Romani sanctiones; prouocatique quidam eruditi Viri hoc mihi Præturam Camerini Ducatus in ciuilibus agenti onus Apologiæ iniunxerunt auidiùs, & precibus fessum repugnantem, cunctantemque impulere ad actorum S. Venantij maiorem elucidationem, & nouæ huius opinionis vlteriorem deiectionem quodammodò conferrè arbitrantes palàm ostendere hanc dissertationem inanibus fundamentis auctam nihil detrahere veritati passionum, quòd vndiquè improbabilis sit, & toto contextu inefficax ad fidem in aliquo promerendam.

Vt dicendorum veritas exactiori ventilatione elucescat vberiùs, delibetur iucundiùs, mos ab antiquis effluxit, rerum, factorumque originem quam diligentèr criticis elucubrationibus explorare, quod Cicerone teste *in primis hominis est propria veri inquisitio, ac inuestigatio*, ac Philosopho -- *veritatis cognitione, & maximè, & euidentissimè hominem à cæteris animalibus distare*, vt probè Cyprianus *mendacia non diù fallunt, sed veritas*, vt inquit Tullius, *molesta est, siquidem ex ea nascitur odium, quod venenum est amicitiæ*, & de Contradictoribus Ambrosius, *nemo patitur se vinci, licèt sciat vera quæ audit*; animus tamèn mihi non est nouum certamen instaurare, sed simplici responsione modo qualis veritatem, & historicum decet legitimos Romanorum titulos proponere, ne videamur ampliùs Mascambruni dissimulare fiduciam, qui de discussione huius quæstionis plus æquo gloriari videtur; Ego tamen venia dignus videbor, quod duo ad hoc opus suscipiendum impulerunt, causæ studium, scilicet veritatis, & desiderium vtilitatis; quid enim religiosius, quam veritatem, vel in medium producere, vel tueri? quid vtiliùs Reipublicæ Christianæ, quam ea non omittere, quæ ad D. Bartholomæi venerationem, laudationem, ac incrementum cultus sacris ipsius ossibus conferre quodammòdo possunt? spe ductus, vt ea qua

Ioseph contra Appionem. Lipsius in Diod.

De Officijs l. 1.

In Lelio.

Epist. 2. ad Timot. c. 2.

Eminentissimus D. Cardinalis Vrsinus peritia rerum, ac sapientia effulget, & Sanctissima ossa veneratione prosequitur, hortatu, auctoritate, totis viribus in posterùm curaturum controuersiæ finem imponi, S. Venantij acta à Modernis oppugnata integrari, quandoquidem S. Congregationis definitiones, vt ait idem P. Papebrochius *fabulosæ non sunt censendæ absque demonstratione penè euidenti*.

P. Papebroc. resp. ad P. Sebast. à S. Paulo Art. 9.

Pro dicendorum explicatione præmitto, definitum esse inter Catholicos S. Petrum sub Nerone ex Herodiana custodia, vbi asseruabatur ad necem, Romam venisse, ibidemque Christi Vicario æternam Cathedram collocasse, profanique Orbis terrarum, vbi sedes eminebat, veri exinde cultus, atque Pontificij salutaris, & vniuersalis potestas suspiceretur, vt scripsere Optatus, Cyprianus, Ireneus, & Nicæno, Ephesinoque Patres Concilio subscripserunt, vt citiùs pervios haberet populos fidei Christianæ persuasio, & ab ipso capite (vt monet S. Leo) per totum mundi corpus effunderetur; reliquis interim Apostolici Ordinis Patribus spiritu superiùs afflante per omnes mundi partes fidei misteria euulgantibus, quorum D. Bartholomæus *in Indiam Citeriorem, quæ ei in orbis terrarum sortitione ad prædicandum Iesu Christi Euangelium obuenerat progressus est, aduentumque mundi Saluatoris, iuxtà S. Matthæi Euangelium illis gentibus prædicauit, sed cum in ea Prouincia multos ad Christum conuertisset, plurimos labores, calamitatesque perpessus, venit in Armeniam minorem*; ibidemque Polymio Rege ab Idololatriæ præstigiis exempto, plurimarum Ciuitatum populis lustrali vnda expiatis, Deorum Ministri vsque adeo *Astyagem Polymii fratrem in Apostolum incenderunt, vt is D. Bartholomæo pellem crudeliter detrahi iusserit, caputque abscindi*; Sed B. Dorotheus scribit fuisse in Albano crucifixum capite deorsum; B. verò Theodorus ait, quod fuit excoriatus, ab aliis asseritur quod fuerit decollatus; Gauantus habens in Auctorem Lipsium probat, quod ab Ægyptijs, & Persis excoriabatur in

Martyrol. 25. Aug. Ferrar. Cat. Sanct. 24. Aug.

Gauant. de sacr. ritibus in appendice ad opus pag. 17.

Cru-

Cruce: à Persis fuisse Bartholomæum decoriatum scribit Panvinus in fastis, Armenos non longè à Persis sitos facilè vsos ijsdem moribus in genere suppliciorum opinatur Gauantus, quibusdam in suam sententiam relatis; quas veterum opiniones concordare nititur S. Antoninus, quòd primò excoriatus, exindè crucifixus, demùm nondùm mortuus decapitatus; de quo Origenes, *Quis maiorem in mundo fructum fecerit Bahtholomæus, an Petrus incertum est*, & Theodoretus, ac Dionysius Cartusianus, *Bartholomæus Apostolus æqualiter sicut Petrus fundauit Ecclesiam*, plurima siquidem ab eodem in Christi confessionem patrata temporum inuidia ignoramus. Hunc tradunt, & fusissimè probare nititur Gauantus, Nathanael vocitatum, Bartholomæus, quod interpetratur donum Dei in Syra elocutione cognomentum fuerit, qui Philippo indicente, *quem scripsit Moyses in lege, & Prophetis inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth*, respondit à *Nazareth potest aliquid boni esse?* Subdit Philippus, *veni, & vide*; properè quidem Spiritu diuinitùs afflante perrexit ad Christum, qui de eo mirabilia testatus est, *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*, cui Nathanael, *Rabbi tu es filius Dei tu Rex Israel*, quamuis Baronius diuersum à Bartholomæo opinetur Nathanael.

Lipsius de Cruce lib. 3. c. 12. Petr. de Natal. hist. S. Barth.

S. Antonin. li. 1. cap. 13. p. 411.

Arius Montan. Ioann. 1.

Iuuen. lib. 2. Carm. hist. Euang.

P. Gauant. de sac. ritibus sect. 5. cap. 10. pag. 127. & in appendice pag. 15

Corn. à Lap. de Comment. in Apoc. cap. 21.

Huius Martyrium refertur ad annum Christi 78. corpus in Ciuitate Daræ requieuit, Persarumque regno à Saracenis vastato, Arca in mare proiecta est, quæ diuinitùs in Insula Liparis incolumis translata fuit ab Agathone Episcopo monitu eiusdem Apostoli honorificentissimè in aris collocata, vt narrat Theodorus Studita rei huius scriptor grauissimus, cuius opus latinum reddidit Anastasius, & in Bibliotheca Oratorij inperantiqua gratiarum actione hoc idem indicitur.

Eadem Insula Liparis à Saracenis Anno 838. occubata, *Sacra Apostoli ossa dispersa sunt*, Theodorus autem Monacus, qui fuerat Sacri depositi custos per quietem ab Apostolo admonitus dispersa singulari splendore ossa micantia inuenta collegit, & Samnitium classe, quæ feram

Anast. post. sermon. S. Theodor. Studitæ. Segeber. Chronic. ann. 831. Gregor. Turon. de gloria Martyrum cap. 34. Metaphrastes. Nicepho lib. 26 cap. 3. Iacob à Vorag. legen. S. Barthol.

opem

opem latura venerat Salernum petit, & manibus Sicardi V. Samnitium Ducis sacrum corpus relaxauit, quod ille Beneuentum detulit, vt fatentur communi consensu Scriptores, quamuis quidam in tempore diffideant.

Differt. latin. de Corpore S. Barthol.
Baron. An. 840
Breuiar. Rom.

Corpus Sacratissimum Apostoli vsque ad tempora Othonis II. in Ecclesia Beneuentana veueratum est, quo imperante Romæ translatum fuit in Insula Lycaonia, vt omnibus omnium fere historicorum scriptis continetur.

§. II.

OThonem II. è Beneuento sacrum Apostoli corpus transtulisse ultrà antiquissimas monumenta tercentos habeo Auctores curiosè quidèm lectos, signatosque fidelitèr; nè tamèn opus hoc Purpuratorum quorumdam Principum iussu vulgandum excresceret, probabiliores hìc adduxi, penitùs omissis, vel breui epilogo indicatis quibusdam eorum verbis, ne nauseam legentibus parerem; quorum tamen omnium nomina in alia, (si res ita exigat) vehementiori replicatione non prætermittenda censui, vt hanc veritatem vniuersi Orbis Scriptoribus patentissimam conuiciosis Aduersariorum diffugiis vindicatam in medium proferam luculentiùs.

Primum huius rei fundamentum est inconcussa Romanorum traditio ab Ecclesia in Martyrologijs, ac Breviarijs probata, Auctoribus omnium sæculorum fusissimè referendis confirmata, reique signis ad oculum verificata.

Et I. adducitur testimonium Othonis Episcopi Frisingensis, & ex Germanis, qui XI. seculo non exacto fuit in humanis scribens: *tradunt Romani de Othone II. quod Beneuento capta B. Apostoli Bartholomæi oßa inde asportauerit, ac Romæ in Lycaonia Insula in Tumba Porphiretica ea collocauerit, in terramque suam per Tiberim, & mare in præfato Sarcophago reportare cogitauerit, sed eo breui vita exem-*

Frisingensis l. 6. cap. 25.

exempto pretiosum thesaurum ibidem remansisse. Otho integritate laudatissimus teste Tritemio, ab his qui à Coæuis voluerunt accipere, Romanorum retulit traditionem, de qua deindè testis est Goffredus à Viterbo, *Tradunt Romani, quod ipse Otho II. capto Beneuento ossa S. Bartholomæi asportauerit*, hic fuit à Sacris Scrinijs Corrado III. & Federico Primo, *in peregrinatione* 50. *annorum Bibliothecas omnes excussit*.

Tritem. de script. Eccl.

Goffred Chronic. lib. 5. c. 25. 26.

Vossius de script. latin. lib. 2.

Martinus Polon. cum notis Suffrid. Frisii.

Accedit Martinus Polonus Archiepiscopus, qui ad annum 1250. suas Chronicas inscribebat nixus fama id profitente: *Otho II. exercitum congregans Beneuentum obsedit, qua capta, ossa* S. *Bartholomæi* (*vt dicitur*) *indè asportauit, & Romæ in Insula in quadam capsa honorificè collocauit, & in terram suam transferre cogitauit, sed eodem vita exempto preciosus Thesaurus ibi remansit, vsque ad hodiernum diem*, cui nec Suffridus aduersatur in notis, de quo inquit Oudinus. *Codicem Martini, qui manibus litteratorum teritur promereri indubiam fidem, quem à nugis Protestantium, nefario, & ordinario ausu attextis expurgatum ad fidem insignis M. S. habemus cum notis* Suffridii. Fuit ex aulicis Ioannis XXI., & Nicolai III. à quo in remunerationem meritorum ad Archiepiscopatum Guesnensem euectus fuit.

De Script.

Hæc autem Romanorum traditio adeo inconcussa permansit, vt Ecclesia S. Adalberti (in qua, vt dicemus Beatissimum corpus ab Othone III. extitit collocatum) Bartholomæi vocitari ceperit, ad quam non accessisset frequens Romanorum turba, quorum Ciuitas insignium omnium reliquiarum locuples est, nec apùd exteros Scriptores adeò percrebuisset fama collocationis, nisi verè sacratissimum depositum in eadem Insula reconderetur. Ingens etiam veritatis est argumentum, quod res acta non est à personis, & in locis priuatis, sed ab Imperatore Augustissimo, corpusquè est conditum Romæ, tunc, & in sequentibus sæculis palàm veneratum cum fide Pontificum, ob id Indulgentiis, Stationibus per totam octauam festiuitatis concessis, cum affluentia Po-

pulo-

pulorum, vt communitèr profitentur Scriptores.

Verum antiquiùs, & planè inconcussum huius veritatis testimonium est Marmoreum os putei olim degens antè aram maiorem Ecclesiæ Apostoli, ex quo aquam S. Bartholomæi dictam fidelibus piè distributam patet fide Patrum Seniorum; hoc autem ob recens ædificium auulso manent putei vestigia, caueaque terra, & macerie contecta; seruatùr tamen in Cœnobio insigne marmoreum monumentum obrotundum in orbe esteriori funis canapis ob frequentem aquæ haustum obsignatum. Litteræ, & carmina circum incisa æuo absumpta sunt, hæc supersunt caractheris Longobardici

Corpora . . . .
Qui sitit ad fontem veniat
. . . .

M. Dic.

habet etiam idem os putei circum orbem quatuor figuras; vt videre est, & mihi æquè constat fide antiquitatum peritissimum Iusti Fontanini Foroiuliensis, & Francisci Ficoronij de Lugnano, veteris esse structuræ, & planè barbaræ, & fermè septem spatio sæculorum incisas; harum prima est S. Saluatoris; secunda gerens Mitram, & Episcopalibus infulis ornata, vt creditur D. Paulini; Tertia sine mitra est D. Bartholomęi longam barbam gerentis cum gladio euaginato, ac libro; Quarta est Othonis III. cum Corona, Sceptro, & Clamide Ecclesiā paruam manu gestantis cum litteris intermediis, quibus componitur carmen metro rudioris sæculi concinnatum.

Os putei Sancti circumdant orbe rotanti

His adde Paschalis notissimam inscriptionem ante Ecclesiæ instaurationum veteri marmore incisam, quam proferunt integram Baronius, Olduinus, & de ea meminere

nere P. Bisciola Baronio Coæus, ac Henricus Spondanus.

Tertius istorum Rex transtulit Otho Piorum.
Corpora quæis Domus hæc sic redimita viget
Quæ Domus ista gerit si pignora noscere quæris
Corpora Paulini sint credas Bartholomæi.

Tempore Paschalis II. Anno Dom. Incarn. 1113. indict. 7. Mense April. die 4. Panditur antiquitas, reique veritas, tùm certæ diei, mensisque appositione, tùm stylo carminum prorsùs barbaro; & fides augetur, quòd duo postrema carmina fuere in marmore satis antiquo litteris Longobardis in superliminari eiusdem Ecclesiæ relata, & aduc manent, vetustiori inscriptione instaurato atrio, ac ipsamet sæpè Ecclesia incuriosè deperdita.

Pariter præualidum præbent veritatis fundamentum peruetusta carmina, quæ ante Ecclesiæ, ac Sacelli eiusdem Apostoli restaurationem legebantur in Cappella S. Bartholomæi, quæ inueni in Scriptura quadam caractheris fermè duorum sæculorum exscripta, eadem æuo semilacera in fasciculo memoriarum signato 21. CARD. BARONIVS, ET THAVRVSIVS in Archiuio Oratorii Vrbis, & pariter eadem carmina habes transcripta in libro memoriarum satis diligenter adseruato in Scriniis Patrum S. Bartholomæi in Insula.

Fascic. memor. in Archiu. Vallicellanæ sign. n. 21.

Lib. PP. S. Barth. pag. 22.

Anno milleno centeno bis quadrageno
A' R' . . . . Xpi Domus Inclita fulsit,
Martirio Xpm confessum noscite Xistum
Ignes, & fustes Laurenti tu superasti
Iudeam docuit Matthias, qua requiescit,
Conditur Armenia fert Mortis amara Tadeus
Missus ad Etiopes cadit ense Mathiæ . . . . . .
Occubuit gladio Thomas directus ad Indos
Bitiniæ Philippus obit cruce corpus adornat
Primus Apostolici Iacobus gregis est iugulatus,

 Ense

Ense cadit Paulus, Petro sociatus in Vrbe
Tu sine defectu radius, tu flos sine spina
Tu sine nube dies, Tu lux sine sorde Parentum
In Cruce Petrus obit Romam dum . . . . . Vrbem
Fortiter Andreas Xpm Cruce Morte fatetur
Ioannes Ephesum doctrina Morte decorat,
India decoriat, tenet Insula Bartholomæum
Stigmata mira Crucis Simon tolerat Cananeus
Fuste perit Iacobus de Templo præcipitatus
Floribus, vt variis fulget . . . .
Sic domus ista nitet decorant quam plurima dona
Vos lapides bis sex, quos in diademate fert Rex
Ante meum vultum, tum nil remanebit inultum
Iudicium meum tractabitis omnibns æquum
Stella Maris candoris ebur, speculum Paradisi
Fons veniæ, vitæ ianua Virgo vale
Discipulis bis sex, quibus est commissa Dei lex
Omnibus exutis, nobis tua iussa secutis
Hic . . . . . Die Rex . . . . . cuncta coerces
Nicolaus Angeli fecit hoc opus
Iacobus Laurenti fecit has columnas cum Capitellis suis.

Hanc Ecclesiam fuisse à Gelasio anno 1119. instauratam, & ab Alexandro anno 1179. ritè sacratam, ex Blondo, alijsque monumentis fundat collegium Romanum PP. Iesuitarum in notis, quas edidit, dedicauitque Gregorio XIII. ad acta SS. Abundij, & Abundantij, vt suo loco dicemus. Ex eodem monimento liquere potest, tùm appositione anni 1180. tùm stylo carminum rudiorum sæculorum, inscriptionem esse valdè antiquam, nec non ex nomine Nicolai Angeli, quod reperies incisum in porticu exteriori Ecclesiæ Lateranensis sub versibus marmore expressis

Dogmate Papali, datur, ac simul Imperiali
Quod sim cunctarum Mater caput Ecclesiarum
Hinc Saluatoris cœlestia dona datoris.
Nicolaus Angeli

Cæsar

Cæſar Card. Raſponus in libro de Baſilica Lateranenſi ignorat tempus editionis horum carminum, dicit tamen antiqua eſſe, & aliquos cenſere in ipſo conſtructionis Eccleſiæ initio appoſita, *aduerſante tamen*, vt ipſe ait *metri ratione, nondum illis temporibus vſitata, patetque à Nicolao III. repoſitos, quemammodum fuere quoque repoſiti ab Eugenio IV. qui porticum eundem reparauit.* Raſp. Baſil. Later. pag. 16. 34.

Hæc autem, & præmiſſa confirmat conſtitutio Friderici Imperatoris lata 1167. quàm vidimus in Caſtro S. Angeli Vrbis, cuius tranſumpta pariter habentur in ſcriniis Vaticanis, & de ea fit mentio in eodem faſciculo memoriarum Archiuij Vallicellani, & diſertiùs in antiquiori tabula Eccleſiæ S. Bartholomæi vetuſtate corroſa, refertque, probatque Baronius, ac Collegium Ieſuitarum in iiſdem notis actorum SS. Abundij, & Abundantij; hæc autem confecta eſt paruis, haſtatiſque caractheribus, eiuſque antiquitas, & integritas, nedum oculariter percipitur, ſed mihi conſtat ex Fide verſatiſſimi Canonici Raphaelis Fabretti, ac Thomæ de Iulijs cuſtodum Archiuiorum Vrbis. Pendet bulla aurea in qua impreſſa eſt effigies Federici dextra ſceptrum, ſiniſtra orbem cum Cruce ſubſtinentis, geritque coronam in capite clauſam; intrà ſeptum, & duo Templa hinc indè cum porta patente in medium, & circum Orbem Bullæ legitur.

Frideric⁹ Romanorum Imperator Aug. ✠

Auerſa parte ineſt turris, in cuius circulo hæc ſunt litteræ AVREA. ineſtque porta, in qua legitur ROMA * circum carmen metro temporum editum *R O M A

Roma caput Mundi regit Orbis fræna rotundi

In eodemque priuilegio à tergo legitur *Corpus S. Bartholomæi in Vrbem translatum per Ottonem 2.* litteris fermè, vt videre eſt quatuor, vel quinque ſæculorum.

Et apparet ſatis efficax motiuum dictæ conſtitutionis, nimirum rei dignitas, vt æquè dictam Eccleſiam (quem ære Prædeceſſorum excitatam de iuribus Imperij pronunciauit) cœleſtem Theſaurum recondere publicè

pateret, eademque Ecclesia plurium sæculorum decursu Templum Augustum appellatur à Schandero in Epitaphio Iacobi Balduini Tifernatis anno M.D. VI. inciso, quod transcriptum apparet in eodem fasciculo memoriarum Oratorij, ac libro non modicę auctoritatis PP.S.Bartholomæi; probatque Collegium Iesuitarum inquiens *quam liberalitatem æmulatus Federicus eamdem Basilicam, quam ad Imperatorium Ius, ditionemque pertinere pronunciavit nouis priuilegiis, & beneficiis ornauit.* Quisquis autem dubitat de veritate, ac legalitate incorruptæ constitutionis ipsam oculo irretorto intueatur in Castro S. Angeli integram, ab omni labe immunem.

Lauren. Schanderus monum. Italiæ de Vrbe Roma pag. 126.

Insuper profiterur Baronius, & ante eum Tabula perantiqua Ecclesiæ S. Bartholomæi (quam oblitteratam vetustate diximus) & legitur in recenti tabula ab eadem deducta, & in eodem Fasciculo memoriarum Vallicellanæ, Alexandrum III. ob corporis eiusdem Apostoli permanentiam, multis indulgentijs illam Basilicam ditasse. Tenor memoriæ sequens est:

In Dei nōie Amen.

Anno Domini 1179. *indictione* 12. *Mensis Martij Alexander Papa III. celebrauit Romæ Synodum in Maioris Ecclesiæ Basilica Lateranensi. Omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, & infinita Clericorum multitudo, qui diversis partibus Orbis in hac inclita Vrbe in prædicta Synodo Congregati erant, venerunt ad Ecclesiam D. Bartholomæi, ibique reuerenter super Corpore Apostoli Missæ officium celebrans sacrificium solemniter obtulit Deo, & dictam Ecclesiam Beati Bartholomæi Apostoli consecrauit, & maximam Indulgentiam ibi posuit. Post prædicationem verò in pulpito ab eo publicè in Populo factam, in confessione iussit Apostoli Bartholomæi nomen à magno celebrante Diacono Cardinale S. Mariæ in Porticu enixè nominari, ipse quoq; Summus Pontifex in absolutione Apostoli memorati nomen honorificè nominauit, & post missæ celebrationem stationem singulis annis in festo S. Paulini concessit.* In eadem tabula, libro Patrum S. Bartholomæi, & fasciculo memoriarum Vallicellanæ, in qua auctoritas,

tas, & antiquitas huius tabulæ refertur, hæc leguntur.

Alexander Episcopus Seruus Sanctorum Dei confirmauit omnes Indulgentias concessas per Prædecessores suos, ac etiam ipseSummus Pontifex concessit magnam Indulgentiam venientibus ad Ecclesiam *S.* Bartholomæi *Apostoli verè pœniten., & confessis eo quod vidit, & osculatus fuit Corpus SS. Bartholomæi Apostoli, & Paulini Confeßoris.*

Cœlestinus III. Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Io: Petri Leonis Almæ Vrbis Romæ Senatoris, & Vniuerso Populo Romano salutem &c. ad supplicationẽ Petri Episcopi Portuensis, & Clericorum, & Parochianorum supradicti D. Bartholomæi Apostoli cum Hymnis, & Canticis Spiritualibus corpora SS. Bartholomæi Apostoli, & Paulini Confessoris in maiori Altari in Conca Porphirea *posuit, & confirmauit omnes Indulgentias positas per summos Pontifices, necnon concessit in dict. Ecclesia multas Indulgentias omnibus verè pœnitentibus, & confessis.*

Anacletus II. Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis in Domino filijs Angelo, & Brisotto Præsbiteris Ecclesiæ S. Xp̃ti Martyris Adalberti, quæ sita est in Insula Lycaonia, quæ modò vocatur Sancti Bartholomæi &c. Et ipse Sum. Pontifex vnà cum toto Clero Romano accesserunt ad dictam Ecclesiam S. Bartholomæi cum debita reuerentia viderunt corpora S. Bartholomæi Apostoli, & Paulini Confessoris, & concessit omnibus, & singulis, qui in dicta Ecclesia sepellirentur, quod nullus sit ausus impedire, sicut continetur in priuilegijs. Tenor priuilegii talis est: Sepulturam quoque eiusdem Ecclesiæ liberam esse sancimus, vt.... qui illic sepeliri deliberauerint deuotioni, & extremæ voluntati nullus obsistat. Et concessit illis, qui in dicta Ecclesia sepelirentur maximam Indulgentiam. Dat. Romæ Anno Domini MCXXXIII. Pontificatus sui Anno Quinto.

Hoc fuit deletum, eo quod Anacletus fuit Antipapa, & quamuìs sit in tabella M. S. antiqua supradicta, tamen in noua non fuit scriptum.

Ex his quædam, ac paritèr antiquam inscriptionem Cappellæ rudi carmine concinnatam omisit Baronius proferre alijs plusquam satis suffultus fundamentis,

quibus rei veritatem liquere *certò certius* affirmat.

Pariter in eodem fasciculo in scrinijs Oratorij, & in laudato libro PP. S. Bartholomæi hæc leguntur; *Ex Codice M. S. vitæ Sanctorum, qui habetur in Bibliotheca Congregationis Oratorij* S. *Paulini Corpus videtur esse coniunctum* S. *Bartholomæo in Insula, in Ecclesia* S. *Adalberti, quæ nunc vocatur* S. *Bartholomæi, quorum trium* SS. *Meritis ibique præstantur beneficia plurima.*

Ex Origin. Cógreg. Orator. M. S. Signat. n 7. pag. 15.

Probatur hoc idem ex aperto Roberti Montensis loco, qui floruit anno 1112. *Circà hoc tempus inundationis Tiberis facta Romæ in quadam Insula eiusdem fluminis in Ecclesia antiqua repertum est in quodam Sarcophago Corpus* S. *Bartholomæi Apostoli totum integrum excepto Corio, quod remansit Beneuenti, quando Otho Imp. capta eadem Ciuitate Corpus prædicti Apostoli translulit Romam, sicuti tabulæ æreæ demonstrant litteris Græcis, & latinis, quæ repertæ fuerunt in Corpore Apostoli. Repertum est in eadem Ecclesia Corpus* S. *Paulini Nolani Episcopi.*

In appen. ad Chronic. Segebert. ann. 1157.

Verificatur (vt ità dicam) ex omnibus Mundi Scriptoribus, qui in quolibet ex sequentibus sæculis de D. Bartholomæo memoriam recoluere, quin ex ipsis Regni Annalistis neglectis Aduersariorum diffugiis ablatio S. Corporis probatur luculentissimè.

Franciscus Petrarca in Chronica Pontificum, & Imperatorum Othoni II. hanc translationem attribuit, cuius Codicem M. S. habemus deindè Florentiæ cusum annd 1478.

Ioannes Villanus, qui fuerat in humanis in principio sæculi XIII. apertissimè tradens Othonem II. Beneventum cepisse, & sacrum Depositum Romam asportasse.

Iacobus de Voragine dicens in Legenda S. Bartholomæi sacrum Corpus Apostoli in Vrbe venerari.

Petrus de Natalibus in SS. Cathalogo lato sub anno 1482.

Flauius Blondus in Vrbe versatissimus antè tempora Eugenii IV.

CVM ROMANI BENEVENTANIQVE ex acie profu-

profugi non solum detrectassent prælium, sed signa deseruissent, & quia copiarum præsidio destitutus in Disertores signorum Romanorum animaduertere non auderet, iram in Beneuentanos exercuit, & Beneuentanos adorsùs imparatos, & nihil tale timentes Vrbem cepit, spoliauit, incendit, per eamque occasionem asportatas B. Bartholomæi reliquias Romæ in Insuln Iouis primo dicta, & postmodum Lycaonia locatas ferunt: Othonem Beneuento deleta in Vrbem Romam reuersum ibi defuntum, & in Petri *Apostoli Basilica sepultum* Ptholemaus, *& Guillelmus sunt Auctores.*

Nec diffitetur Æneas Siluius, qui fuit Pius II, comprobans quæ de Othone II. firmauimus. Pii Opera, quę extant super Decades Blōdi Epit. lib. 3. Dec. 2.

Hoc idem confirmant Egnatius in Othonem II, & Albertus Grants in *Saxonicis*, Cuspinianus de Cæsaribus, & omnium vetustissimus Segebertus probant bellum cum Græcis, ac fugam Othonis II. Albert. lib. 7. in Sax,

Sebastianus Verronius Chronicæ Ecclesiasticæ.

Typographia Sanctissimorum Christi Martyrum per Paulum Cabelulensem Episcopum anno salutis 1450 composita, & nunc demùm recognita Neapoli 1572. in qua Corpus Apostoli in esse Romæ non semel asseritur.

Et in Chronica Pontificum, & Imperatorum, ac de septem ætatibus Mundi Romæ impressa anno 1474. clarè dicitur *Otho II. Beneuentum obsedit, & cepit, ossa inde S. Bartholomæi Apostoli abstulit, vt portaret in terram suam.*

Et in Breuiario Cathedralis Cracouiensis opera Ioannis Haller -- *tandem Corpus B. Bartholomæi Apostoli Romam translatum fuisse perhibetur.*

Platina in vita Benedicti VII. cum quo nihil aduersatus in notis videtur conuenire Panuinius.

Et pariter patrocinatur Breuiarium Romanum ex sacra potissimùm Scriptura, & probatis Sanctorum historiis confectum, & denuò per eundem Auctorem accuratiùs recognitum cum priuilegiis summi Pontificis, & Regis Galliarum MDXXXVIII. ibi *hinc postea Romam translatum vbi egregia Populi veneratione colitur.*

Pro-

Probat apertissimè nostram sententiam Guillelmus

Guill. lib. 10. Eysengreinus in Chronico rerum Spirensium.

Nauclerius generatione 33.

Volaterranus lib. 23. Comment. Vrb.

Tarcangnot. parte 2. ibi. *Otho II. Corpus detulit in Insula vastato Beneuento, quæ inde etiam in hanc diem nomen retinet*, nec aduersatur Thomas Costus Neapolitanus in Notis.

Leander in descriptione Italiæ agens de Beneuentana Ciuitate translationem tribuit Otho II. pleraque tamen suo more confundens.

Sigon. lib. 7. Sigonius lib. 7. de Regno Italiæ hæc habet -- *Nec magis Græcis, aut Saracenis hostibus, quam aut Romanis, aut Beneuentanis amicis iratus sequenti anno de improuiso Beneuentum inuasit, atque Oppidum captum ad vindicandam Oppidanorum perfidiam hostiliter diruit, & vt maiorem eis dolorem inureret ossa etiam S. Bartholomæi Apostoli, quæ illi præcipua veneratione colebant, indè extulit, & Romam traducta, vt indè in Germaniam transfererentur Tiberis in Insula Lycaonia collocata.*

Breuiarium Prædicatorum iuxtà decreta capituli Generalis sub Francisco Romeo ordinis Ministro Generali, Salamanticæ anno 1551. reformatum, & auctoritate Apostolica comprobatum, Venetiis 1563. in quo habetur -- *Apostoli corpus ad Lyparam insulam est delatum, inde Beneuentum, atque hinc postea Romam est translatum*, quod decretum à spiritu Religionis emissam, sicuti apud omnes est maximæ auctoritatis, apud Patres eiusdem Religionis, vt Tripodis Oraculum venerandum est.

Hora. Mart, Rom. sac. p. 78. Plaz. de Priuil. Basilic. Vatic. pag. 100. Erud. Io. Ciampinus de sac. edific. Cōstant. Francisc. Gonzag. de orig. Relig. Fran. Conuen. 3. p. 2.

Pandit rei veritatem visitatio sacri Corporis anno 1557. peracta, de qua testis est Martinellus scribens -- *Sancti Bartholomæi Corpus spectabile in conca Porphirea, cùm ob Tyberis exundationem collapsum fuisset Paulus IV. anno 1557 illud solemni pompa, ac supplicationibus in Templo S. Petri comportandum iussisset Pius IV. restitui mandauit, vt vidi in Instrumento consignationis die 27. Iulii 1560. in Archiuio Vaticano*, & repetit Abbas Plazza, & priùs dixerat Turrigius -- *vigore huius motus proprij summi Pontificis*

ficis Capitulum S. Petri deputauit ad consignandum Corpus S. Bartholomæi, & alias reliquias RR. DD. Episcopum Castrensem, RR. DD. Hieronymum Methabeum, & Aurelium de Tortis Canonicos dictæ Basilicæ sub die 25. Iulij, & eodem anno 29. eiusdem, consignauerunt Corpus ipsius Apostoli, & alias Reliquias Fratribus supradictis, vt patet publico instrumento in actis quandàm Simonis Tegeroni Notarij Basilicæ memoratæ.

Et Natalis Comes testis Coæuus -- *Pontifex*, inquit, *ad placandam iram Numinis supplicationem, ac Iubilæum indicit, atque cum B. Bartholomæi Corpus intra ruinam sui Templi ob inundationem collapsum repertum fuisset, illud magna, & solemni cum pompa, ac supplicatione in Templo D. Petri comportandam curauit*; Pium verò restitui iussisse Patribus Insulæ, qui illud honorificè detulerunt ostensum est; qui Pontifices non palàm, & publicè, & ad placandam iram Dei ausi fuissent corpus illud supplicationibus venerari omissis tot alijs Martyrum reliquiis, quibus diues est Vrbs Roma, nisi planè compertum fuisset hoc esse verum Apostoli Corpus. Comes histor.

Rationale diuinorum officiorum à R. D. Gulielmo Durando Nimatensi Episcopo concinnatum, Lugduni 1565.

Pater Aloysius Contarinus de antiquitate, situ, Ecclesijs, Corporibus Sanctorum Vrbis Romæ, Neapoli 1569.

Historia Pontificia hispanico sermone edita per V. I. D. Gonzalium de Illescat. Salam. 1569. vbi testatur quo cultu summus Pontifex veneretur reliquias S. Bartholomæi in Insula Tiberis reconditas.

Maximæ verò est auctoritatis Breuiarium Romanum ex decreto sacrosancti Concilij Tridentini restitutum, Pij V. Pont. Max. iussu editum, pars æstiualis Parisijs 1571. *eius Corpus Albani, vbi passus fuerat sepultum est, quòd posteà ad Liparam Insulam delatum, inde Beneuentum translatum, postremò Romam ab Othone II. Imp. Gregorio V. Pontifice Max. portatum in Tiberis insula in Ecclesia eius nominis dicata collocatum fuit; agitur autèm Romæ dies*

Festus octavo kal. Septembris, & per octo consequentes dies Basilica illa magna Populi frequentia celebratur.

Idem legitur in Martyrologio Mauroligi Neapoli edito 1572.

Gregorium ad eam ætatem præfuisse fuit illorum temporum sententia iustà perpetua Annalistarum diffidia, quæ tamen nullo pacto valent rei veritatem præuertere, quæ vndique comprobatur ex probis Scriptoribus, vt vidimus.

Collenuc. l. 11. Pandulphus Collenutius historia Neapolitana ad Herculem Ferrariæ Ducem in latinum conuersa, probataque à Ioanne Nicol. Rheto Basileæ 1572. -- *Hùc ergo vbi peruenisset decreuit Beneuentanorum perfidiam vindicare, qui primi in acie locum deseruissent, causamque fuisse putarentur tantæ calamitatis, itaque collectis, quas potuit exercitus Reliquiis simulauit se Græcis obuiam proficisci, sicque Beneventum peruenit, idque diripuit, diruit, & igne consumpsit, ablatoque Apostoli Bartholomæi Corpore Romam aduectum in Tiberis Insula, vbi hodiè S. Bartholomæi Templum est sepeliri voluit.....*

Persecutiones Ecclesiæ Ioannis Andreæ Gilij Venetijs 1573.

De Origine, & progressu Religionis Franciscanæ Francisci Gonzaghæ Magistri Generalis ad Sixtum V. (Gonzaga par. 2. Prouinc. Rom. Conuent. 3.)

Sansouinus in libro nobiliorum Italiæ Ciuitatum Venetijs 1575.

De Imp. Germ. lib. 3. par. 3. Compendium temporum, & historiarum Ecclesiasticarum Auctore Ioanne Riccio, Parisiis 1576.

Kalendarium Historiarum Constantii Felicis Medici par. 2. ibi -- *Corpus Apostoli sub Gregorio V. ab Othone II. Romam translatum.*

De rebus mirabilibus Vrbis, Ecclesijs, Stationibus, ac Reliquijs, Romæ apud Vincentium Accoltium 1582 -- *Corpora SS. Paulini, e Exuperantii, Adalberti Marcellini, ac Bartholomæi per Othonem II. allata sunt in Ecclesia Insulæ.*

Colleg Iesuitarum pag. 149. Collegium Romanum PP. Iesuitarum in notis Actorum S. Abundij, & Abundantij Gregorij XIII. dicatum

Romæ

Romæ 1584. -- *Otho III. Garganum nudis pedibus contendit, posteà Patrio aduersus Beneuentanos odio inflammatus Paulini Nolani Episcopi oßa Beneuento sublata Romam asportauit, quæ cum S. Bartholomæi corpore in Insula Tiberina condita sunt. Tunc ergo tertiò Romam venit Imperator Otho, quarè hoc anno Ecclesiam S. Adalberti Episcopi ab eo ædificatam credimus, in qua statìm Apostoli collocata sunt ossa, quæ Pater Otho II. Beneuento hostiliter propter perfidiam Oppidanorum direpto, vt maiorem eis dolorem inureret, indè postremo sui imperij anno transtulerat, Romamque traducta sunt, vt in Germaniā transferrentur in Tiberis Insula Lycaonia collocatæ, quod Platina in vita Bened. VII. significat. Qua quidem Insula tria Templa fuisse legimus, Iouis Lycaonii vndè Insula nomen recepit, Esculapii, & Fauni: fieri autem potest, vt à Romanis Pontificibus aliquod eorum Christiano ritu in Ecclesiam conuersum fuerit, vbi Sancti Bartholomæi Apostoli, & Paulini Episcopi Reliquiæ positæ sint, seruatæque tantisper, dùm ad Esculapii Fanum constructa ab Othone III. Basilica S. Adalberti sedem mutarint, ibi tùm Porphiretico labro reconditæ honorificè, & piè coluntur, atque hæc est causa cùr ea posteà Ecclesia S. Bartholomæi sit appellata. Eamdem Ecclesiam in titulum in numerosa Cardinalium creatione vnius, & triginta facta anno 1507. transiisse aiunt Recentiores; Otho multis prædiis, muneribus, & priuilegiis eam Basilicam donauit, vt ex Federici Imp. litteris, quæ in Vaticana Bibliotheca retinentur animaduertere licet, quam liberalitatem æmulatus ipse etiam Federicus eandem Basilicam, quam ad Imperatorium ius, ditionenque pertinere pronuntiat nouis priuilegiis, & beneficiis ornauit. Hanc à Gelasio II. anno 1119. instauratam Blondus inquit lib. 11. instauratæ Romæ, & ab Alexandro III. Synodo Lateranensi peracto anno 1179. antiquo ritu sacratam Pontificii tesiantur annales. Extant quoque litteræ Petri Leonis, siue Anacleti pseudo-Papæ ad Angelum, & Brisottum Præsbyteros Ecclesiæ S. Adalberti, quæ modò vocatur S. Bartholomæi scriptæ anno MIXXX, vt sileantur summi Pontifices Cælestinus III, & Alexander III. qui sacras indulgentias à superioribus Pontificibus eidem concessas Basilicæ confirmarunt, & auxerunt.*

Hoc perſpicuo RR.PP. Ieſuitarum de Repub. litterata adeò emeritorum loco, ſatis aperitur, quòd à quibuſdam non ſatis explicitè traditur, nimirùm ſacrum corpus fuiſſe breui temporis curſu in alia Eccleſia Inſulæ retentum, quod Otho III. in Eccleſia S. Adalberti in eadem Inſula collocarit.

Martyrologium Romanum ad nouam Kalendarii rationem, reſtitutum Gregorii XIII. inter Pontifices fermè maximi iuſſu, in quo ſatis lucidè definitur tàm Paulini, quàm Apoſtoli corpus in Inſula requieſcere. Plurimum verò pro verificandis his, quæ diximus confert Bulla Sixti V. à PP. Inſulæ mihi communicata.

Sixtus PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam; cum dilectus filius noſter Antonius tituli S. Bartholomæi in Inſula S. R. E. Præsbyter Cardinalis Sanctæ Seuerinæ nuncupatus Altare maius in Eccleſia eiuſdem tituli S. Bartholomæi, quod ſuperioribus annis magna Tyberis inundatione ſimul cum Eccleſiæ *parte collapſum, atque confractum fuerat poſt eiuſdem Eccleſiæ inſtaurationem de nouo ædificauerit, & decentiori forma conſtructum ornauerit, illudque die Dominico proximo, qui erit* 18 *huius Menſis ſolemni dictæ S. R. E. more, & ritu conſecrare, ac in eo ipſius* S. *Bartholomæi Apoſtoli, & aliorum Sanctorum Corpora, ac reliquias reponere in animo habeat. Nos ad maiorem cultum, & venerationem eiuſdem glorioſi Apoſtoli, & aliorum Sanctorum, ac vt Eccleſia ipſa congruis frequentetur honoribus, & Chriſti fideles eam adeuntes aliquod cœleſtis gratiæ donum indè conſequantur*, de *Omnipotentis* Dei *miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, eius auctoritate confiſi. Omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ſacram Eucbariſtiam ſuſceperint, & prædictam Eccleſiam &c. plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem concedimus. Quam eamdem Indulgentiam perpetuis futuris temporibus ipſo anniverſario conſecrationis die, videlicet Dominica tertia Menſis Auguſti, quotannis ſimilitèr Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus verè pœnitentibus &c. miſericorditer in Domino elargimur.*

mur. Datum Romæ apud S. Marcum, sub anulo Piscatoris die 15. *Augusti M. D. LXXXV. Pontificatus nostri anno primo.*

Hæc autem Bulla motu proprio, & certa rei scientia tot elogijs patentissima euulgata, est ingens huius veritatis testimonium.

In eodem lib. Archiuii PP. S. Bartholomæi affertur transumptum diarij Santorij Cardinalis S. Seuerinæ nuncupati ad annum 1585. Italico tamen sermone scriptum, cuius enarratio hæc videtur. *Instaurata Ecclesia titulari S. Bartholomæi ob Tiberis exundationem decens videbatur, quod Corpora S. Bartholomæi Apostoli SS. Martyrum Adalberti, Exuperantii, & Marcellini, & Paulini Nolani Episcopi cum reliquiis SS. Simonis, & Iudæ, aliorumque honorificentiùs collocarentur, quarè obtenta priùs die* 18. *Augusti* Indulgentia *plenaria à Xisto PP. V. cum ingenti populi affluentia, ac Prælatorum per Ecclesiam, ac per Atrium peracta supplicatione delato in humeris Corpore S. Bartholomæi in feretro valdè pomposo præsente Cardinali Deza illud collocaui sub Ara maiori à me magnificè restaurata, sacrataque in conca porphirea, quod corpus erat inuolutum in zendado cremisino viridi, ita, vt videre erat, intacto, vt tunc ab Artifice fabricatum crederes, quamvis plura exacta essent sæcula, quod Otho à Beneuento translulit Romam, magnumque reddebat odorem, nec tamen ausus fui illud detegere S. Corpus, quàmvis à Prælatis, qui mecum aderant valdè rogatus, sciens quanta veneratio SS. reliquiis sit habenda, clausaque conca cum lapide marmoreo, vel laminis ferreis, ac argenteis apposita memoria in carta pergamena dictæ consecrationis mea manu subscripta annotatis die, & anno, meoque* Sigillo *signata. Reliqua Martyrum corpora collocaui in capsa cupressus, quàm in alia plumbea apposui, vt similiter Corpus S. Paulini separatìm in alijs Altaribus cum sua inscriptione, reseruatis quibusdam Reliquijs, vt Populo satisfacerem, quæ ceremonia cum musica, ac solemnibus perdurauit vsque ad horam* 17, *proptèr quod adeò laboraui, insudauique, vt ob graue feretri pondus saucia remanserit caro lateris sinistri, cuius dolor toto vitæ decursu fuit à me toleratus apposito medicamento, ac plastra*

ferrea,

ferrea, Deus pro sua misericordia retribuet in alia vita in qua verum inest bonum.

De script. Cardin. pag. 34.

Diaria Cardinalis S. Seuerinæ commendat Turrigius.

Prosequitur memoria ipsius Cardinalis latino idiomate lata.

Auctoritate SS. D. N. Sixti PP. V. mihi anteà imposita consecraturus Altare maius S. Bartholomæi Apostoli in eius Ecclesia in Insula Tiberis, seù Lycaonia, quæ noster titulus est, hodiè vesperi cum nonnullis Prælatis ad eandem Ecclesiam accessi, quò etiam ex deuotione visit D. Petrus Cardinalis Deza, & reuidimus, & recognouimus thecam in qua Corpus S. Bartholomæi Apostoli, & reliquas capsas, in quibus aliorum Sanctorum corpora, vel reliquiæ sunt repositæ, quæ ab anno præterito à nobis clausæ, & sigillis obsignatæ custodiebantur supra Altare in Capella Sancta cancellis, clausis, & similitèr obsignatis &c. Decreuimus corpus tantùm S. Bartholomæi Apostoli sub eius Altare condere, & ideò eius thecam reuerenter detulimus in Altare sacristię ad vitandum concursum aduenientium personarum, eamque argenteis, & ferreis laminis exteriùs firmatam clauis confixis, nostro paruo sigillo obsignauimus, & in ea apposuimus laminam plumbeam cũ hac Inscriptione Corpus S. Bartholomęi Apostoli in noui huius Altaris consecratione die Dominico 15. Kal. Septembris CIↃ IↃLXXXV. reconditum. *Item & notam, siuè schedulam consecrationis huiusmodi in membrana eius, & tenor hic est. Anno &c.*

In eadem refert quod auctoritate Sixti V. ob Tiberis inundationem exornauit, & consecrauit Altare S. Bartholomæi, atque in eo intra concam porphyreticam, & sub tabula marmorea illud recondidit, & paritèr quod Sixtus concesserit Indulgentiam &c. & quòd ad secundam ferè noctis horam eamdem thecam cum Corpore S. Bartholomæi in feretro ornatissimo cum Episcopis, Clericis, & Regularibus honorificè in processione cum Psalmis, & Canticis detulerit ad Cappellam, proùt latiùs in tenore dictæ schedulæ continetur.

Cardi-

Cardinalis Baronius hæc habet -- *Rursùs autem sub Othone II. Imp. Romam delatum est Corpus eius, vt Otho Frisingensis testatur; factum id esse constat anno 983. eiusdem autem Imp XI, quo hac vita migrauit. Id ipsum etiam Alb. Grants in Saxonicis, & alij qui persecuti sunt res Othonis. Eadem legi in Codice M. S. Vaticano vbi registrata sunt priuilegia Rom. Ecclesiæ, hæcque omnia constare ex litteris aureo sigillo munitis ibidem scribitur.* In notis ad martyr. 25. Aug.

De hoc Martyrologio ad annum 1584. Gregorius -- *mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, &c. vt in peragendo diuino in choro officio omni alio Martyrologio omisso hoc tantùm nostro vtantur nulla re addita, mutata, adempta.*

Petrus Maturus notæ in secundam partem D. Antonini Lugduni 1586., vbi nullam memoriam recolens cum Antonino de vulgari Beneuentanorum fama clarè dicit Othonem Beneuento deleta Sacrum Corpus abstulisse, & in Vrbis Insula reposuisse, vbi & hodiè veneratur.

Breuiarii Eystetensis iussu Reuerendiss. Principis ac DD Martini Episcopi Eystetensis editi pars æstiualis 24. Aug. Inglostadij 1589.

Dionysii Gothofredi historiæ antiquę pars altera de Imp. Rom. Lugduni 1590. In Othonẽ II.

Nec diffitetur Regius Viciequensis in Regno Episcopus in opere Neapoli cuso 1592, referens sub Gregorio V. fuisse Sac. Corpus Romæ collocatum, se subscribens Breuiarij Rom. sanctionibus, addens gloriosum Apostolum cum duobus aliis nimirùm Petro, & Paulo in Vrbe Martyrio sublatis Romam ipsam mirabiliorem reddere.

Vitæ Pontificum Thomæ Costi Neapolitani, Venetiis 1592. Ibi *iactat Beneuentum olìm possedisse Corpus S. Bartholomæi Apostoli, quod exindè ab Imperatore Romæ translatum fuit*; hoc ipsum habes apud Thomam Almaiorem in notitiis historicis Regni Neapolitani, testantem Beneuenti ampliùs non asseruari, qui testes, cum sint Regni optimè fundant illam Beneuentanorum esse indigestam. Almaior. p.48

gestam traditionem, non communem, & apud histori-cos nedùm exteros, sed regionis non benè tutam.

Vitæ SS. collectæ per Reuerendiss. D. Franciscum Nareum, Lugduni 1596 -- *postremò Romam ab Othone II. Agitur autem Romæ dies Festus 8. Kal. Septemb. & per octo consequentes dies illa Basilica magna Populi frequentia celebratur*,

Historia Bononiensis Cherubini Ghirardacci Bononiæ 1596. tribuens delationem corporis Othoni II. habens in auctorem Nauclerium, & Achillem Pimenium.

Cornelius Schultingius in Bibliotheca Ecclesiastica de expositione Missalis, & Breuiarii, Coloniæ Agrippinæ 1599., vbi clarissimè sententiam nostram fundare videtur.

Octavius Pancirolus pariter Othoni II. tribuit translationem Apostoli, qui Scriptor probatissimus est inter historicos.

P. Ribadeneyra id ipsum confirmans, & in Vrbe maximè venerari testatur.

Antonius Summontius Neapolitanus agens de notabilioribus Regni Incolarum gestis, ac referens Ciuitatum historias p. prim. cap. 40. testatur in præsens Corpus S. Bartholomæi apud Beneuentum non reperiri ab Othone sublatum ob fugam Beneuentanorum in bello Othonis II. gesto apud Bassanellum; & quamuìs referat opinionem Chron. Cassinatis, dicit tamèn, se malle inhærere Breuiarij Romani sanctionibus.

Nicolaus Doglionus hanc sententiam obfirmat.

Alphonsus Ciacchonins -- *Otho II. Imperator non multò post translatum S. Bartholomæi Corpus Anno 983. Romæ moritur*.

P. Zaccharias Lippellous tom. 2. in vita S. Paulini -- *Corpus vero S. Paulini Romam translatum in Ecclesia S. Bartholomæi in Insula vna cum Corpore eiusdem Apostoli honorificè asseruatur*, & tom. 3. inquit, *Summo bonore ad multorum vtilitatem, & consolationem vsque bodie prædictum Corpus S. Bartholomæi asseruari*.

P. Bisciol. tom. 11. Epit. Annal. Eccles.

Gabriel Bisciola Societatis Iesu -- *Hoc eodem Anno*

Otho

Otho Imperator ex Polonia, quò pietatis ergo fuerat peregrinatus ad sacra Pignora Adalberti Martyris, Romam reuersus, manus eius auferens, auro, & gemmis mirificè exornatas in Ecclesia à se fabricata eius dicata nomini inter duos pontes honorificentissimè collocauit, & alia plura Sanctorum Martyrum Corpora diligenter conquisita illùc transtulit, & inter cętera Corpus S. Bartholomæi Apostoli, & S. Paulini Nolani Confeßoris, de quo Robertus, qui ad Segibertum adiecit appendicem 1155. Factum est autèm, vt illatione Corporis S. Bartholomæi in Ecclesiam sub titulo Adalberti Martyris incboatam transiuit ipsa in nomen, & cultum eiusdem Apostoli memoriaq; Adalberti hoc modo fuerit paulatim obliuione deleta; restituit eam Paschalis II. post 113. annos, cuius inscriptio notat tempus, & Corpora SS. Bartholomæi, & Paulini; Indictam sibi à B. Romualdo pœnitentiam Imper. pedes ...... memoriam S. Michaelis Archangeli in Gargano monte in Apulia hoc anno exsoluit teste Ostiensi ex antiquis Ecclesiæ Cassinatis monumentis: Vndè rediens, inquit, *cum venißet Beneuentum, postulaßetque Corpus S. Bartholomæi, nec illi negare auderent, aliud pro eo supposuerunt, in quo Ostiensi, ab omnibus contradicitur.*

Alphonsus Villegas in vita S. Bartholomæi.

Sethus Caluisius Chronologia.

Bartholomæus Dionigius Fanensis par. 2. in historia ex celebrioribus Scriptoribus deducta, describens bellum Othonis, fugam Beneuentanorum, & ablationem sacri Corporis.

Magnum Chronicon auctore Fratre Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium propè Nussiam, vbi ex Goblino refert supradictam historiam.

P. Ioannes Antonius Brandus in Chronologia summorum Pontificum, qui prædictis se subscribit.

Et in epilogo sacrorum Euentuum Francisci Ballerini.

Flos sanctorum traductum ab Hispanico, opera Gratiæ Mariæ de Gratiis in vita S. Bartholomæi.

Antiquæ Vrbis splendor, hoc est præcipua eiusdem templa ex historiarum monumentis Romę Anno 1612.

Augustinus Manus in select. histor. rerum memorabilium cap. 626.

Cathalogus Sanctorum in menses duodecim distributus authore Philippo Ferrario, quamvis in fine additum sit in notis Beneuentanos Corpus Beati Bartholomæi adhùc retinere, cui obiecto satisfaciemus in sequentibus.

Petrus Martyr Felinus de rebus mirabilibus Vrbis 1615. qui quamuis videatur sentire corpus Beatiss. fuisse allatum per Othonem III; aduertendum est Othonem quem recentiores dicunt secundum Othonis I. filium, III. in ordine quibusdam visum fuisse si addas Othonem, qui Galbæ successor fuit, vel hi Baronii non benè discussam opinionem in Annalibus secuti sunt.

Frater Abraham Bzouius lib. 10. opinionem Baronii secutus.

Laurentius Surius hanc translationem factam per Othonem apertissimè conuincens.

Vita D. Paulini Episcopi Nolani Antuerpiæ ex officina Plantiniana apud Moretum 1622. par. 3.

Cardinalis Baronius -- *anno millesimo Otho Imperator ex Polonia Romam rediens sacras reliquias Adalberti Martyris secum detulit, videlicèt manus quibus vbi collocarent .... curauit Ecclesiam in Insula Tiberina loco Vrbis famosissimo. Agitur verò de ea translatione in appendice ad vitam eiusdem Martyris, asseriturque alia quoque Martyrum corpora ex varijs Italiæ partibus summo religionis affectu esse ab eodem Imperatore in eamdem translata Ecclesiam, sed & cum pœnitentiæ gratia, quam illi vt dictum est, Romualdus Abbas indixerat in Montem Garganum Apulia situm pedes peregrinatus &c. Beneuentum adijt, inde quoquè Corpus S. Bartholomæi Apostoli, nec non Paulini Nolani Episcopi Romam transtulit. Id enim hoc ipso anno factum esse Ostiensis ex antiquis monumentis affirmat, quamuìs in eo quod ait à Beneuentanis Paulini Corpus loco S. Bartholomæi tunc fuisse suppositum plures habeat Contradictores asserentes omninò ipsumet Apostoli corpus in Ecclesia in honorem S. Adalberti extructa certò certò certius asseruari.*

In

In cuius testimonium veritatis adducuntur etiàm Romanorum Pontificum sacra diplomata, & Friderici Imperatoris constitutio data anno mille centesimo sexagesimo septimo, quibus accedunt acta Synodalia sub Alexandro III, nec non inscriptio, quam in eiusdem Ecclesiæ restauratione in superliminari portæ maioris Paschalis II. apposuit anno millesimo centesimo tertio, quę hodiè legitur, in qua cum paritèr asseratur eam translationem factam esse ab Othone III. manifesti erroris redarguuntur, qui sub Othone II. illam posuere. Denique anno 1157. post Tiberis inundationem aperto sarcophago inuentę sunt intus tabulę ęreę scriptæ litteris gręcis, atque latinis, quę significarent ipsum esse corpus S. Bartholomęi ab Othone translatum; Repertumque paritèr est in eadem Ecclesia corpus S. Paulini, quamrem gestam narrat Robertus, asserens tamèn pellem Apostoli remansisse Beneuenti: Porrò factum est vt illatione corporis S. Bartholomęi in Ecclesiam sub titulo Adalberti Martyris incohatam, transierit ipsa in nomen, & cultum eiusdem Apostoli, memoriaque Adalberti hoc modo fuit paulatim deleta.

Vides hìc Baronium adeò detulisse inscriptioni Paschalis, vt recesserit à lata opinione in Martyrologio, vbi translatio tribuitur Othoni II, nec Baronium satis aduertisse inscriptionem loqui de collocatione sacrorum corporum per Othonem III. peracta, quando translationem è Beneuento Othoni II. tribuunt plusquam centũ Scriptores, patetque ex Constitut. Friderici per Baronium laudata, & ex his quę ipse fundat in Martyrol., vbi ait certò, & liquidè cõstare Othoñe II. S. Corpus transtulisse.

Quod insupèr asserit idem Baronius Leonem ex antiquis monumentis eruisse translationem factam per Othonem III, non valuerunt Aduersarij verificare, imò ex probabilibus fundamentis explorauerunt eiusdem ordinis Patres Floriacenses codicem Leonis deprauatum, & mendis vndique scatere, vt meritò in his quæ accedunt in laudem, & decorem Prouinciæ, vel Ecclesiæ nullam penitùs fidem promereatur.

Horatius Scoglius Ecclesiæ primordia,

Splendor antiquæ Romæ Auctore Iacobo Lauro 1625. Romæ per Petrum Sanctum Ambrosium.

Ber. Veries in notis spiritualibus, Romæ anno 1630. per Aloysium Grinanum.

P. Ioannes Seueranus in memoriis septem Ecclesiarum Vrbis.

Magnum Theatrum vitæ humanæ tom. 6. lib. 10. reliquiæ sacræ Vrbis Romæ, & lib. 17. vbi translatio Othoni II. tribuitur, ac Beneuenti vastatio;

Faustus Verdellius in euentibus Ecclesiæ.

Historia Ecclesiastica P. Thomæ Cascini Florentini lib. 7. cap 3.

Descriptio Romæ antiquæ, & recentioris, Romæ apud Andream Feum ad instantiam Ioannis Dominici Francini, vbi quamuis videatur translatio tribui Othoni III. procedit iuxtà ea quæ superiùs diximus.

Platina vitæ Pontificum, vbi egregiè nostram sententiam comprobat, & quamuìs diffidere videatur in anno translationis, iam diximus perpetua in ratione temporum, veterum, & recentiorum Annalistarum fuisse diffidia.

Odoricus Rinaldus anno Christi 1157.

Liber qui inscribitur Angelica Guida pro visitandis Vrbis Ecclesiis Romæ per Catalanum 1649.

Alphonsus Thuscus, vbi in compendio historico Ducum Sabaudiæ nostræ sententiæ astipulatur.

Diarium rerum illustrium Fęlicis Gerardi, Neapoli apud Robertum parte 2.

Annales Minorum Lucæ Vvadinghi tom. 8. vbi patrocinatur nostræ opinioni, & contrarium sentientes irridet.

Epitome Annalium Ordinis Minorum Francisci Caroldi Hyberni.

Franciscus Sequanicus in suis itinerariis, & description. Geog. disertissimè conscriptis.

His accedit Marcus Antonius Guigues, Vir plurimæ eruditionis, in historiis, Poesi, Geographia, scientiisque

tijſque verſatiſſimus, honeſtate integerrimæ vitæ laudatus, in Collegio Tholomæorum Senis iterùm Lector accitus in ſuo celebri libro Sferæ Geographico-Cœleſtis, in quo agens de ſigno Eſculapij, cuius Numen angue deſignatum venerabatur in Inſula Lycaonia clarè oſtendit ibidem remota ſuperſtitione venerari corpus Apoſtoli ab Othone II. Romam adductum, à III. Othone in noua Eccleſia Inſulæ exindè collocatum, addens communitèr tradi attextum eſſe præcitatum Oſtienſis locum, hanc noſtram opinionem tot fundamentis comprobans, vt nullus ſit amplius hæſitationi locus relictus. Guig. Sphær. Geog. Cœl.

Quibus omnibus ſimul iunctis conſultò quidèm Cornelius Frangipanius Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ olìm Aduocatus concludit in ſuo Apologetico adversùs Baronium ſupèr victoria Venetum pro reſtitutione Alexandri III. -- *illud veritatis alicuius hiſtoriæ ſignum certum eſſe ſi in eadem omnes conueniant Ioſeph contra Appionem lib.* 1. *omnes ſcilicèt ſi plures digniores Gloſs. in cap. de quibus diſt.* 20. *exteros, & intereſſe non habentes, quibus vtique habetur fides, ſique accedant Imagines, inſcriptiones, quæ in faciem, & cum nomine Principis latæ publica auctoritatæ factæ ſunt, & inſupèr fama publica, ſeù traditio notorium inducit.* Quæ omnia pro noſtra hac ſententia concurrere præmiſſis patet, in ore omnium rei veritas verſatur, probat Eccleſia, fideles vbique confitentur. Frangipan. Alleg. adu. rsùs Baron.

CAP. II.

Diluuntur obiecta Aduerſariorum.

BEneuentani, tamquàm de parta victoria ſibi plaudentes, pluribus diſſertationibus, argumentiſque hanc exploratiſſimam veritatem præuertere conati ſunt; vltima latinæ elocutionis, quam edidit ad nobiliſſimorum Conſulum preces anno 1698....... acriori nixu, totoque ingenio conſerta continet omnia, quæ excogitare, proferre, ac ex ſcriniis eruere valuerunt Beneuen-

tani,

tani, adeò vt pòst tot peractas vndique diligentias nil aliud desiderari possit, quod germanum, fideque dignum reputari debeat; huius itaque verbis relatis, rebusque ipsis (saluo sempèr obsequio debito auctoritati Eminentissimi Scriptoris) satisfacere onus assumimus, secuti ordinem, quem nobis obtulit eadem dissertatio.

Dissertationis Latinæ.

§. I.

Historicorum authoritas.

N. I. HVius rei veridicum testimonium præbet *Leo* (A) *Marsicanus Episcopus, & Cardinalis Ostiensis*, qui ad veterum illius Abbatiæ instrumentorum fidem circà annum 1087. scripsit *Chronica Cassinensia*; & *lib. 2. cap. 24.* memoratum factum de sancto Beneuentanorum dolo refert; cuius fidem sequendam esse scribit *Cardinalis* (B) *Baronius*, à quo anno 1059. *num.* 1. & anno 1077. *n.* 23. *sinceræ veritatis scriptor vocatur*; eò maximè, quia primus, & quasi contemporaneus ea de re scripsit; *Paulus de Rubeis* olim in alma Vrbe Promotor fidei *apud Illustriss. Episcopum Mattam de Canon. Sanct. p. 4. cap. 24. num.* 20. Imò memorato anno 1000. præerat Abbas Monasterio ipsi (C) *Ioannes* nobilis familiæ Beneuentanæ, qui vel testis ocularis esse potuisset, vel à suis Ciuibus audire, & factum tàm memorabile vel ipse, vel eius Monachi Beneuento vicini in scripturis dicti Monasterij, ex quibus Chronica desumpsit *Ostiensis*, registrare potuissent. Cui Episcopo, & Cardinali fidem in hoc minimè detraxit *Matthæus* (D) *Lauretus*, qui Chronica ipsa à dicto Cardinali edita reuisit, comprobauit, vel emendavit; Nec *Archiepiscopus de* (E) *Nuce*, qui ipsius *Laureti* scripta oppugnare conatus fuit, de facto isto dubitauit; adeò vt conuallata vndique fides ipsius *Cardinalis Ostiensis* appareat, quià eius assertio in trutinam posita fuit, & de ea non fuit dubitatum; & intrat alia regula firmata apud eumdem *Mattam loco cit.* quod quando sunt plures histo-

rici

rici concordes, danda est eis fides. Et immemorabile (F)Festum, quod singulis annis sub die 4. Septembris celebratur Beneuenti, & nuncupatur *S. Bartolomæi in Caua*, comprobat repositionem dicti S. Corporis à Beneuentanis factam in Caua eiusdem Ecclesiæ, vt sacrum Corpus lateret; obseruantia enim, & maximè immemorabilis dat fidem gestis antiquis, *Rota apud Cocc. decis. 747. n. 3.*

(A) *LEO.* E viuis excessit ad Annum 1116. igitur historiam protulit 130. annos post præmissam translationem, si hæc Othoni II. iuxtà veriorem, probatissimamque opinionem tribuatur, vt nec contemporaneus, nec certè primus censeri poslit, cum ad eam ætatem esset in humanis Otho anno 1138. Episcopus renunciatus teste Vossio, qui plura aggerat de Othonis Frisingensis fide, & auctoritate.

De script. Eccl. Raduic. lib. I I. cap. 1 4.

(B) *BARON.* Leonis Fides exigua est inter historicos, nec Baronio passim probata; & in Bibliotheca Floriacensi legimus - *Neothoricos quosdam Cassinates Leoni partum supposuisse, cuius si viuus esset se minimè Patrem agnosceret; Cum quod rem auget vehementer illud est, quod Cardinalis multa de Pontificibus sui temporis dicat, quæ veritati nulla ratione quadrare conuincuntur*, & ex Benedictinis Ioannes a Boscho vir Doctissimus teste Carolo in Annalibus Franchorum, inquit - *Cum in Leonis narrationibus multa, ac penè omnia haud leuiter admonerent de earum veritate, & integritate certa fide dubitandi, imò, & penè compellerent - Bullas quas ipse Leo confingit, cæterum dicerem Monachos Cassinates Leoni, vt ab eius antiquitate, & dignitate sibi compararent fidem, & auctoritatem partum supposuiße*, eosdem Monachos pluribus arguit, & Bullas Leonis attextas agnouit Clarissimus Mabillonius, & ex eadem Bibliotheca Floriacensi *hactenus Breulius, qui tamèn annotauit in Chronic. Cassini editione Baronium nominare mendaciorum effutitorem eum, qui litteras Cassinensi Chronico adiunctas scripsit*; ideinque Baronius, eoque relato Boschus *Leonem*, ait, *glorianter, & mendacitèr esse locutum, nihil Baronium facere Leonis assertionem consensu*

Bibliot. Floriac. pag. 365. Venetiis 1605.
Bosch. de Trãslat. S. Benedicti & pag. 365. 383.
Annal. Franch. pag. 686. n. 46.
Tom. 2. p. 338. de transl. S. Benedicti.
Bibliotec. Floriac. pag. 370. & 374.
Baron. Anno 1099.

totius

totius Orbis explosam, plurimos Leonis errores patefacit eadem Bibliotheca Floriacensis, alios reperiunt Arnoldus, Marus, Peregrinus, & *ridiculas*, & *temerarias* eiusdem narrationes vocat, exprobratque Carolus, suspectasque ex Menardo in Martyrologio Benedictino, ait, Sapientiss. Mabillonius, & Sauseus -- *Historiam Chronici Cassinensis non esse tantæ auctoritatis, quandoquidem domesticum, & priuatum Monasterii instrumentum est, nullius, nisi solius scribentis auctoritate suffultum, cuius auctor alius gloriantèr, & mendacitèr scripsisse historiam Berengarij conuincitur à Baronio*. Insuper eruditiss. Gallonius post eumdem Baronium comprobans Gregorium non fuisse ex Monacis Benedictinis certò Testimonio ipsius Gregorii, & cum ad ea tempora, quibus asseritur Monachatum egisse in Præfectura degeret Vrbana, conuincit errores plures Codicis Cassinensis, -- *Siccine*, inquiens, *Patres Cassinenses librum haud diligentius cognitum in omnium vestrum dedecus prodire sinistis? hos Codices falsi vitio notatos*, dicitque *spurios stomachum ad nauseam promouentes* -- *& scripta commentitia igne comburenda*, & inferiùs, *num Bibliotheca Cassinensis est arca fidei, vt Sacrosanctum affirmare necesse sit quidquid in ea reperitur?* Denique plura diplomata apochripha pronunciat ad gloriam conquirendam conficta, plurima vt *imposturam* proscribens.

Arn. Vvion. ligno vitę lib. 2. Annal. Ecclesf. Ann. 673. Mabill. tom. 2. pag. 345. Sausseii Annal. Aurel. pag. 213. lib. 4.

Gallon. pag. 9. 32. 42. 55. 57. vsque ad 110.

(C) *IOANNES*. Conciuis auctoritas parum prodesset ad patefaciendam historiæ veritatem, imò Leonem deceptum fuisse à vulgò Beneuentanorum credere videtur Nuceus, vt dicemus, & idem Leo loquens de Barbaris illis temporibus arguit Paulum Diaconum dicens -- *nouerint consuetudinem hanc esse rerum gestarum Scriptoribus, vt in narratione sua opinionem vulgi sequantur*; quem locum expendens Mabillonius ostendens incorruptis documentis translationem Corporis S. Benedicti, inquit, *Leonem in componenda sua historia hanc regulam secutum credere fas est*. Idemque Ostiensis ex Marsico Oppido Regni oriundus est, imò tunc in Cęnobio Cassino degebat, vt faciliùs ex supradictis, vt testimonium domesticum explodatur, Cassinum verò fuisse ad ea tempora

Leo lib. 2. c. 44.

Mabillon. to. 2. pag. 340.

pora in agro Beneuentano probat Vvarnifridus, dum apertissimè conuincens corpora S. Benedicti, & Scolasticæ in Galliam translata cecinit.

Tùnc Beneuentanis translata è montibus altis
Busta Patris Benedicti, nunc Liger altus honorat.

Et ex aljis veterum monumentis aperit Mabillonus, imò Monachos Cassinates fuisse Beneuentanis Principibus deditissimos, à quibus Castra, & Villas receperint recenset Vipera, repetitque à tribus Ciuibus Beneuentanis ad ea tempora instauratum Cassini Cœnobium; Quodque magis suspicionem adauget illud est ad tempora Leonis præfuisse Abbates Beneuentanos, vt Athenulphum Pandulphi Principis filium facto ipsius Abbatem renunciatum, ex Prædecessoribus numerant Ioannem, qui fuerat Beneuenti Archidiaconus, ad cuius ætatem deceptum ostentant Augustum; Exindè, inquit Mascambrunus, *Leo prodidit memoriæ, quæ à Desiderio Beneuentano Cassinensi Abbate edidicit*; hic autèm D. Bartholomæo Patrono deditissimus dicauit in Monasterio Cassinensi Apostolo Prouinciæ Patrono Basilicam, in qua non exiguam, vt prodit Leo *Apostolici Corporis partem collocauit*; igitur Leo à pueritia in Cassino oblatus à vulgo Accolarum deceptus, vt Principi Populo adularetur ne Prouinciam tanto munere orbatam fateretur, translationem negare adortus est cum ex allatis suppositi Corporis reliquiis in laudem suæ Abbatiæ reliquiis illustrioris, finitimorumque de sua Ecclesia optimè meritorum singula deriuarent, reprobatque meritò, communem opinionem de translatione S. Benedicti in Galliam intrepidè fundans Mabillonius, domestici Scriptoris fidem inquiens -- *Aduersarij consulant extraneos pæferendi hi sunt, quibus testimonia extraneorum suffragantur*, proferens aduersùs improbabiles Leonis opiniones antiquissimum testimonium Pauli Diaconi Monaci Cassinatis, Bedam, Diaconum, qui vixit ad Annum octingentesimum quadragesimum, Adreualdum qui medio nono sæculo scri-

In Chronol. Beneuent.

Mascamb. p. 29

Leo lib. 3. c. 34.

Mabillon. to. 2. de transl. S. Bened. pag. 342.

bebat, Adonem Viennensem, qui floruit Anno ottingentesimo septuagesimo, Reginonem Prumiensem, Martyrologium Notkeri, Vsuardi, Segebertum, & innumeros grauissimos huius sententiæ Authores, vel antiquiores, vel Leoni pares, hosque hactenùs inconcussos à cauillosis Laureti diffugiis vindicatos; & nos anteponimus Frisingensem, Robertum, Gothifredum, Martinum, Petrarcham, Blondum, Æneam Siluium, Sigonium, Baronium, Collegium Iesuitarum, & centum probi nominis cuiusvis sæculi Scriptores, ac monumenta potentissima, quibus nullo modo potest æquiparari fides vnius Ostiensis supectissima, quæ vulgatissimæ Scriptorum, Populorumque opinioni repugnat. Nec fides augetur quod Cardinalis is sit, Arnaldus, & Mascambrunus Episcopi, & quod Author huius dissertationis Vir magnus sit, & Eminentissimus Scriptor. An nos invidemus? Tot Pontificum, Imperatorum, Cardinalium, testimoniis roborati? Et quibus nihil quod validum censeri possit repugnat, cum his Aduersariorum obstet interesse, vel Patriæ, vel Ecclesiæ; hæc autèm mea dissertatio æquo accipiatur animo quia ut inquit S. Thomas -- *ex hoc habent exemplum Prælati, vt non dedignentur à minoribus impugnari, quoniam etiam ipsi circumdati sunt infirmitate.*

Ad Galat. lec. 3.

(D) LAVRETVS. Quantum deferre possimus Codici Cassinensi, tùm Laurentii Monaci, tùm Laureti, tùm Angeli studio expurgati, editique, ex eorumdem verbi conijcere quisque valebit -- *à situ*, inquit, *Laurentius, & carie vindicaui historiam Ostiensis in bibliothecis nostris propemodum vetustate confectam breui, ni fallor, periculo perituram, perge igitur in huiusmodi Libelli nostri emendatione laboranti ab omni erroris neuo nitidum reddere conanti, vt à detractorum latratibus opem feras.*

Lauren. Epist. Dedic.

De hoc Codice Laurentij tale profert iudicium infensissimus Lauretus -- *à Viris doctis malè audit hoc Cassinense Chronicon, & meritò, cum adeo pluribus scateat erroribus, vt planè dicere possimus tot in eo esse mendacia quot sententiæ -- Cepi diligenter Chronicon illud* 1513. *impressum*

perlegere, atque cum antiquissimo eiusdem M. S., quod in Archiuio Cassinensi seruatur conferre, quo facto deprehendi Chronicon illud multis scatere erroribus, valdè à M.S. dissidere; hoc igitur Chronicon optime Lector tibi exhibent Cassinates, quod ego additionibus, seù pluribus annotationibus locupletari curaui; Vt non ineptè credere quis possit ab eodem Laurentio in gratiam Cassinatum, amicorumque attexta, vel corrupta plurima quæ à Leone dici asseruntur.

De hoc Lauretano Codice ita sentit Angelus Nuceus -- *Laurentius temerè, & impudentèr multa de suo addidit, Annorum, & temporum rationem deprauauit, eaque denique Leoni, ac Petro tribuit, quæ ipsis dicere numquam venit in mentem, denique diminuit, deuastat, integram historiam proscribit, quid verbis opus est, vix vnum sine flagitio, mendoque versum deprahendas, vt non Leonis historiam, sed errorum Odisseam edidisse videatur*, proponens plures Cassini Codices asseruari, nimirum litteris Romanis, & Longobardis excriptos, & archetypum Leonis.

Verùm Peregrinus, qui primus Bibliothecam Cassinensem excussit, tot exemplaria non reperit, nec hoc archetypum à Nuceo recens vulgatum, inscribens, *quisquis alter ad Petri mentem talem de suo Ostiensi affixerit sententiam -- nec sanè præsens Cassinense exemplar reputandum videtur ipsius esse Ostiensis authographum, quod Petri simul Actuarium, haud nuper quidem, sed varia mente descriptum continet, quodque indicia complura tùm alibi seruat commixtæ alienæ dictionis inferiùs opportuniùs denotanda -- quin nec Petri esse authographum apparet &c. Ostiensem igitur expositæ modo inconstantis sententiæ minimè reputo auctorem -- in uniuersis Ostiensis editionibus, ipsoque in M.S. exemplari non temerè dixerim Cassinensem instaurationem haud ex Auctoris mente perhiberi peractam -- ex recentiori exemplari solius Chronici Ostiensis in Bibliotheca Cassinensis Monasterij adseruato, signatoque n. 202.* Igitur solummodò exemplar Codicis Leoniani reperiri liquet testimonio Peregrini; an autem hoc sit illud Laurentij, vel Laureti tot mendaciis vndique scatens, per se quisque iudicare potest. Angeli æquè fidem eneruat Marus asserens ipsum

Peregrin. hist. Longobard.

Io. Bap. Marus in notis ad Pet. Diac. de vir. Illus. Cas. in Leonem.

exemplar Cassini reperiri -- *Chronicæ Ostiensis datæ sunt prælo Venetijs, deindè Neapoli, alijsque locis, quas quidem editiones collatas cum antiquissimo exemplari M. S. in bibliotheca Casinensi seruato, quod Chronicon Casinense appellatur, fuisse ab integritatis suæ gradu deturpatas, mendisque obsitas facilè cognoscere ipse sedulus Lector valebit* -- *Extat penès Olsthenium Chronicon Leonis, in quo variantes lectiones ad fidem plurium M. S. sua manu ad oram editi libri annotatas vidimus*, quibus congruit sententia eiusdem Mari - *Si deprauatis vtimur codicibus nihil aliud superest nisi vt Isioni similes vmbram pro re, errorem pro scientia amplectamur.*

In præfat.

Patet igitur nos ignorare qualis sit Leonis Codex, quæ lectiones eiusdem manu exaratæ sint, cum quisque addiderit, & detraxerit, & à quo, quoue tempore fuerit attexta, vel corrupta lectio deceptionem Othonis adeò improbabiliter proferens, pro qua nullum alium ex antiquis, tùm Beneuentanis Scriptoribus, tùm Regni, tùm exteris inuenere potuerunt Aduersarij, neminem qui hanc verè esse Leonis opinionem in alijs sæculis asseruerit, neminem qui illam in eius codice antiquo perlegerit; ex quo datur intelligi adiuncta esse omnia, quæ de S. Bartholomæo assernntur ad gloriæ materiam couquirendam, cum laudem Cęnobij, Regni, ac finitimorum Beneuentanorum singula præseferre videantur.

Antiquitatem characterum Longobardorum non semel obijcient Aduersarij, hoc autem est inane perfugium, siquidèm Gallonius Scriptor iu Vrbe probatissimus, postquam retulit fundamenta patentissima, quibus conuincebatur D. Gregorium nunquam fuisse ex Casinatibus, & silentium Bedæ Treuirensis, ac Diaconi qui de eodem agentes rem adeò insignem prænotare non omisissent, inquit PP. Casinates ex Bullis Longobardico more concinnatis Monachatum comprobare adortos fuisse, hoc autem esse *refugium miserorum, quasi deessent hisce diebus Scriptores, qui commodè formam elementorum valeant imitari, & plùs apud te probet forma characteris, quam veritas manifestis rationibus confirmata.* †

P.Gallon.p.54.

De

(E) DE NVCE. Vidimus ſatis Nuceum poſt ſex ſæcula modicam promereri fidem, & quamuis non explodat tamquàm attextum hunc Leonis locum, ne omninò Caſsinatium gloriæ, Regnique detrahere videretur agnouit ipſius improbabilem lectionem, & vulgarem, & certis teſtimonijs aduerſantem Beneuentanorum famam, ſcribens -- *Friſingenſis, Gothifredus, aliique verum Corpus Apoſtoli Beneuento Romam delatum aſſerunt, ſed ab Othone II. Anno 983. Martinus Polonus lib. 4. Othonem III. à Monte Gargano redeuntem Corpus S. Paulini Nolani à Beneuentanis nullo deceptum dolo accepiſſe tradit. Author noſter vulgarem fortè Beneuentanorum famam ſequutus eſt, & in huiuſmodi quidem mirum, quam diſcordes obtineant traditiones apud hanc, vel illam gentem, vel Ciuitatem. Vide Baronium Anno mille*, ad quem Lectorem remiſit errores Aduerſariorum apertiſsimè conuincentem. Ange. de Nuce not. ad Oſtienſ.

(F) FESTVM. Supponunt Aduerſarij Corpus fuiſſe in Caua repoſitum poſt deceptionem Othonis, quæ conſenſu omnium Scriptorum exploſa eſt, vt vidimus. Hoc feſtum eſt fortè probabilius exortum in ſequioribus ſæculis ad inſignem oſtentationem. Nec arguas I. C. Iannelle inquiens hoc Feſtum antiquiſsimum, ac Synodum Litaniarum. Peto, vnde probas? fortè Viperæ recentiſsimis teſtimonijs? Antiqui Beneuentani non adeò incuriosè prætermiſiſſent annotare latuiſse Corpus, Feſtique celebritatem in his ſæculis adeò magnificatam. Et qui eruit è Caua? Vnicus Arnaldus tribus ex actis ſæculis ſacrum Corpus è locis deſpectis eruiſſe gloriatur; Si quæ eruit aliquis antiquior, præbe nomen, & authentica Vrnæ ſigna, vt de veritate, ac identitate reliquiarum nulla ampliùs quæſtio oboriri poſsit.

Menardo viro grauiſsimo viſum eſt contemptu potiùs explodendum Feſtum illud, quod in aliquibus Eccleſiis celebratur de noua illatione Corporis S. Benedicti Caſsinum, poſt quam in Galliam tranſlatum fuit, vt mihi manifeſtiſsimis fundamentis conuincit, inquiens, *Feſtum illationis S. Benedicti Caſsinum apud quaſdam Eccleſias celebratur, quod in nullo Kalendario, aut Martyrologio* Menard. not. ad Martyrolo. Benedict. 6. Nouemb. pag. 384. & 391.

repe-

reperies, nec apud vllum alicuius nominis historicum. Si *vera fuisset hæc reliquiarum relatio Paulus Diaconus numquàm de ea siluisset, cum illius ætate rei memoria recens fuisset.* Hoc eodem argumento vtimur; nam si deceptus fuisset Otho, & ob id è Caua auulso sacro Corpore Festum antiquitùs indixissent Beneuentani, Desiderius in Dialogis, Falcon. in Chronicis, Arnaldus in Bulla, vel pro tempore Archiepiscopi memoriam aliquam retinuissent, & aliquo saltèm si non ocularis, saltèm fide digni testimonio nobis innotuisset. Igitur nullo pacto valent Aduersarij præsumere *Auctores contestes,* quorum Codices tam deprauatos superiùs vidimus, nec Moderni cuiusquam auctoritas valeret confirmare Leonis veteris Scriptoris lectionem, adeò quidem improbabilitèr prolatam, seù veriùs attextam, vt vidimus.

Pariter Boschus post quam neglexit, illusitque Ostiensis locis ad comprobandam D. Benedicti translationem inscribit deferendum non esse mendoso Leonis Codici; & vlteriùs pro fundanda translatione, inquit, *hanc patere ex omnibus Auctoribus cuiusuis ætatis, Italis, Germanis, Hispanis, denique toto Orbe Christiano id fatente, atque confirmante, vno dumtaxat excepto Leone, cuius auctoritas vtrum debeat totius Orbis consensum euertere, atque proculcare quisquis cordatus apud se reputet -- Cum strenua, & constanti assertione Ecclesiarum cuiusuis Christiani Orbis, quæ vniuersali ferè Concilio equipollet, maximè si adsint Romanæ Ecclesiæ approbationes, verè, & ingenuè cogimur credere Corpus S. Benedicti in Floriacensi Ecclesia recondi.* Hoc ipsum argumentum nobis opitulatur, cum Corpus Apostoli inesse Romæ infallibilitèr pateflat ex fide Authorum cuiusuis sæculi, ex Spiritu Religionum, patentissimis inscriptionibus, rei signis, reperitionibus sacri Depositi, fide gentium, consensu antiquæ, & recentioris Ecclesiæ, vno dempto Ostiensi ex antiquis Scriptoribus, cuius fides quanti habenda sit patet ex supradictis.

Vtque veritatem celeriùs attingamus proferendus est Ostiensis locus -- *huius* (inquit) *Abbatis anno* III. *qui* Lib. 2. cap. 24. *est millesimus ab Incarnatione Domini, Otho Beneuentum*

venit

venit ex causa Pœnitentiæ, quam illi B. Romualdus iniunxerat, abiit ad Montem Garganum, reuersusque petit Corpus S. Bartholomæi, qui nihil tunc illi negare audentes, (addit Angelus, *habito cum Archiepiscopo Consilio*) *callidè illi pro Corpore Apostoli Corpus S. Paulini Nolani, quod satis decentèr apud Episcopium ipsius Ciuitatis erat reconditum ostenderunt, & eo sublato recessit tali fraude deceptus. Quod postquam rescinit nimiùm indignatus Corpus quidem Confessoris, quod detulerat honorificè satìs apùd Insulam Romæ recondidit. Sequenti tempore perrexit iterùm super Beneuentum, & obsedit eam vndique per multos dies, sed nihil aduersùs eam præualens Romam reuersùs est, mortuusque apud Paternum.*

Ex præmissis liquet exiguam fidem deferendam esse Chronico Leonis, ferè nullam in his, quæ in laudem Ecclesiæ Cassini, Regnique dici asseruntur, eadem enim facilitate, qua superadditas putant lectiones de existentia Corporis S. Benedicti, & de Monachatu S. Gregorii, & alia plura, quæ reperta sunt ex eodem errorum fonte deducta, eadem prorsùs sub Præsulatu Abbatum Beneuentanorum, siuè sequioribus sæculis Othonis secundi vastatio, Beneuenti direptio, vel confusa, vel expunta sunt ob fugam Beneuentanorum, ad gloriam suis conquirendam, & ad inflictum fugæ dedecus specioso facinore diluendum, & ingenioso sanè commento præsuppositum Othonem III. primò sacrum Corpus petiisse, à Præsbyteris ostenso eo D. Paulini deceptum, compertoque Beneuentanorum dolo in vniuersam Ciuitatem cum instructissimo exercitu proruisse, à Viris militaribus Beneuentanis strenuè deuictum, pulsumque abscessisse; & omninò improbabile est religiosissimum Othonem III. ex hoc tantùm, quod pio quorumdam dolo deceptus sit ex post in vniuersam illam Ciuitatem adeò hostiliter cum instructissimo exercitu, & quidèm improsperè irruisse, vt cum suo Ostiense gloriantur Incolæ, & profectò iniustissima hæc fuisset belli occasio, quod non hæc egissent Præsbyteri in odium, contemptumque Cæsaris, sed ne despoliarentur pretiosissimis exuuijs, solent enim boni Principes, non nisi magna ex

causa

causa ad obsidionem Ciuitatum properare, commotaque fuisset omnis Apulia, Magnatesque Longobardi suppetias vndique tulissent nobilissimæ Ciuitati Beneuentanæ, quæ caput omnium fuerat, & hæc insperata, & minùs æqua obsidionis causa vndiquè percelebris extitisset, vt mirandum planè sit vno dempto suppofititio Ostiensis loco omnes, tum exteros, tum antiquos Chronistas obsidionem adeò memorabilem ignorare omnimodè potuisse; Tradunt tamèn aliqui Othonem ad partes Apuliæ immigrasse, vt Beneuentanos, ac Capuanos cum Romanis annuente Crescentio in amicitiam coniungeret, quod contestim prosperè quidèm egerit, exindè reuersum à Monte Gargano petiisse Corpus S. Paulini, *quod liberalitèr Beneuentani tradiderint*; Est autèm maximum falsitatis indicium, quod Scriptores omnes opinione Cardin. Marsicani neglecta contrarium vndique afferant teste Baronio: *Quod Ostiensi à pluribus contradicitur, certò certiùs affirmantibus S. Corpus in Insula venerari*, & Spondanus - *Ostiensis plures habet contradictores asserentes omninò ipsum Apostoli Corpus in Ecclesia S. Adalberti certò certiùs asseruari, in quo Ostiensi ab omnibus contradicitur*, & expresse P. Gabriel Bisciola Baronio coæuus ait - *in quo Ostiensi ab omnibus contradicitur*; quod ipsum dissertius indicit litteratissimus Guigues.

Ciarlantes. Sabell. Enneid. Collenuc. hist. Neapol. lib. 2. in fine. Zappullus hist. Neapol. Eques Messias in Othonē III. Martin. Polon. Collegium PP. Iesuitarum in actis SS. Abundii, & Abūdantii. Angelus de Nuce in notis ad Ostiensem. P. Bisci. Soc. Iesu Epito. Annal. Eccles. Anno 1000.

Emergeretque omninò erroneus Ostiensis locus, quod ex antiquis Scriptoribus nullatenus verificetur post collocationem S. Paulini in Insula iterùm Othonem III. ad partes Apuliæ immigrasse, in qua expeditione, obsidione, aduentuque ad Vrbem cum exercitu, & Equitibus æstiuam, & meliorem illius Anni millesimi partem absumpsisset. Sigonius singula Othonis gesta describens dicit hoc Corpus Paulini in Lycaonia collocasse, indè in citeriorem conuersum Italiam 8. Kal. Decembris Rauennam contendisse, & sequenti tempore iterùm Romam perrexisse, Romanis ipsum in Prætorio valido copiarum præsidio destitutum obsidentibus; Inde Roma cum Siluestro discessisse, ac Lombardiam versùs iter perrexisse 12. Kal. Februarij, apud Paternum interiisse. Accedit, quod

Sigonius lib. 7. in fin.

quod vbi verè Otho à Beneuentanjs depulsus ab obsidione turpitèr fuisset causa recentis odii, nedum Scriptoribus *abditos Principum sensus, & si quid occultiùs parant*, vt prodit Tacitus, auidius exquirentibus, sed etiam Romanis statim agnita euasisset, nec illi, nec minùs hi corpus ampliùs Romæ recondi asserere ausi fuissent, & inscriptionibus pandere, nec fama adeò celebris totidem testimonijs cuiusuis sæculi verificata populos ad venerationem in Lycaoniam conuocasset, tamquam ipse Imperator se deceptum illato bello iam patefecisset, nec ipsa Ecclesia S. Adalberti cõmunitèr templũ D. Bartholomæi vocitari cepisset, aduertitque Baronius: *Factum est autem ut illatione Corporis S. Bartholomæi in Ecclesia sub titulo S. Adalberti transierit in nomen, & cultum eiusdem*, Anno 1009. repetitque tamquam insigne huius veritatis fundamentum Bisciola ex Iesuitis, cuius nomine etiam in Federici Constitutione decorata reperitur, Sanctique Bartholomæi appellat Petrarcha, qui quatuor ab hinc sæculis fuit in humanis. De vit. Pont. & Imp. in Othon. III.

Quibus potius probatur certa traditio rei veritate innixa annorum decursu magis crebra, probantque complures Neapolitani Scriptores, ex his Costus euincit apertissimè, & insuper ab anno 983. vsque 1007. nihil ait memorabile accidisse in toto Regno; fuisset autem ingentis gloriæ, & singulari elogio dignum apùd Regni Scriptores Othonem cum exercitu improsperè quidem obsedisse Beneuentum, etiam tunc nobilissimam Ciuitatem, & hunc egregiè à Beneuentanis debellatum, pulsumque, & multiplicibus documentis, antiquisque certum asseruissent; vt planè cæcus, & obstinatus videretur, qui Ostiensis attextis deferens opinionibus, Romanorum traditionibus, Scriptoribusque fidem non præberet: & confert illud Tullii in Romanis historijs hoc dedecus impingentis -- *multa scripta sunt in eis, quæ facta non sunt, falsi triumphi plures, Consulatus etiam genera falsa, & ad plebem transitiones*, & de commentarijs Cæsaris ait, *quæ enim Cæsar nunquam fecit, neque fecißet, ea nunc ex falsis commentariis proferuntur*, & Dion. ob Ad annum 983 Neap. 1618. In Bruto. Dion. lib. 53.

adulationem (quam vetus appellat Tacitus *reipublicæ malum*) *multa conficta diuulgantur, multaque, quæ certè acta non sunt ignorantur, denique omnia secùs quam euenerint eduntur.*

Quidam enim nimis sibi sapientes visi Codices castigant, vel potiùs deturpant, addunt alij, quæ ad operis, rerum, suorumque decorem conferre videntur.

N. II. De facto isto testis nedum scriptor est (G) *Eadmerus* Anglicus, qui in sua historia scripta circa annum 1090. & iterum typis data à *Gabriele Gerberonio Parisiis cum operibus S. Anselmi*, testatur se audiuisse à grauissimis Sacerdotibus Ecclesiæ Cantuariensis, & signanter ab *Eduvio, Blachemando, & Farmando*, quod (H) *Alphanus III.* Archiepiscopus Beneuentanus, Regnante Reginn (I) Imma, circa annum 1017. cum certis præsagiis nouisset immanem famem totam Apuliam fore afflicturam, Angliam venit secum deferens brachium S. Bartholomæi, asserens, quod *brachium ipsum in ipsa Ecclesia Beneuenti à reliquo corpore seruabatur remotum*, & illud dedit Reginæ prædictæ in Ecclesia Cantuariensi, adstante ipsa, Monachorum quoque, ac Clericorum immenso agmine, inter quos memorati Viri, à quibus *Eadmerus* acceperat, numerosaque vtriusque sexus, & ætatis multitudine, & iureiurando super altare, & Corpus Christi, nec non SS. Reliquias asseuerauit, ipsum Os B. Bartholomæi Apostoli proprium fuisse; & ex tunc (K) *Egelnothus* Pontifex Cantuariensis donauit præfato Pontifici Beneuentano cappam valdè pretiosam aurifrigio ornatam; qua posteà *Roffridus* successor Archiepiscopus Beneuentanus vsus fuit in Concilio generali sub Vrbano II. Bari anno 1098. celebrato; & *Eadmerus* ipse Concilio præsens, Antistitem Beneuentanum cappa reliquis præstante, ornatum vidit; & cappam, & verba ipsi puero iam prius dicta, Patri Anselmo Episcopo Cantuariensi interessenti retulit, & designauit, ac celebrato Concilio, de eadem cappa cum Pontifice Beneuentano locutus fuit, qui eam, ordine descripto, suam Ecclesiam ab

Ecclesia Cantauriensi adeptam esse declarauit, cui scriptori fides danda est, quia est Regni extranei, & ea in re nullo pacto interessatus; & pro Scriptore fidei probatæ laudatur à grauibus Authoribus, & signanter *à Gugliel-mo Nalmesburgen.* Ex cuius *Alphani* Archiepiscopi relatis verbis: *idem quippè brachium in ipsa Ecclesia Beneuenti à reliquo corpore seruabatur remotum*, clarè colligitur, quod reliquum corpus B. Bartholomæi asseruabatur in Ecclesia Beneuentana; nam ly: *reliquum*, determinat æqualiter brachium, & totum corpus; & quæ dicuntur de parte reliqua, intelliguntur etiam de toto, *Menoch. cons.* 1020. *n.* 39. & in materia sacrarum reliquiarum statur attestationi Episcopi, *Fagn. in cap. cum eo num.* 6. *de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*.

(G) EADEMERVS hæc inscribit. *Quod puer audiuit à Senioribus, qui narrabant, quòd ipsis adolescentiæ primordia agentibus Imma Regina intèr multa dona, quæ Ecclesiæ Christi Cantauriensi contulit Brachio B. Apostoli Bartholomæi ipsam Ecclesiam disponente Domino sub Enud Rege Anglorum sublimauerit; quæ res qualitèr acta fuerit hoc ordine referebant. Tempore, quo ipsa Domina sicuti Regina in Regno Anglorum magna, & præpotens habebatur, Pontifex Ecclesiæ Beneuentanæ venit in Angliam, quem sicuti ipse ferebat immanis fames, certisque præsagijs totam Apuliam afflictura illò deduxerat, cupiens aliquo modo si non posset toti Prouinciæ saltem suis Ciuibus tantum malum propulsare. Is iter ingreßus Brachium B. Bartholomæi Apostoli secum tulerat spe sibi certa promittens, se per illud multa lucraturum. Idem quippè Brachium ob huiusmodi necessitudinum contrahenda subsidia in ipsa Ecclesia Beneuenti à reliquo corpore seruabatur remotum. Episcopus itàque transita Italia venit in Galliam, quæ sibi dabantur gratantèr vbique bona suscipiens. Audita verò diuitis fama Regni Anglorum ratus est sibi eò progrediendum ex aliorum euentibus sperans se illìc ampliùs cæteris regionibus acquisiturum: Pontifex igitùr Angliam veniens ipsam Reginam adijt, & quid detulerit, quam ob causam tam remotas Orbis adierit partes insinuauit: At illa hominis charitatiuo labore ad misericordiam flexa, de suis ei copiosè largita est,*

ta est, & illum Patriam remeare, nec non eis, quibus imminens famis periculum formidabat subuenire hortata est. Sed ipse intelligens non sufficere sibi ad suum negotium, quæ habebat, percuntatus est, vtrum os quod attulerat dato pretio Regina in ius proprium transferre vellet. Et Reginæ petenti ait, *super Corpus Dominicum, & super Sanctorum Reliquias iuraturum se, reliquias de quibus agitur veracitèr eße de Corpore B. Apostoli Bartholomæi remota omni equiuocatione, atque sophismate, vt coram ipsa Monarchorum, ac Clericorum immenso agmine, inter quos, Viri à quibus hæc accepimus se præsentes fuisse testati sunt, iurando super altare, & Corpus Christi &c. assecurauit ipsum os de quo sermo habebatur B. Bartholomæi Apostoli proprium fuisse &c. Quo facto Domina quamplures argenti libras Antistiti contulit, & Osse potita illud Ecclesiæ Christi Cantauriensi solemni donatione concessit. Pontifex Sedis ipsius Egelonothus inter reliqua, quæ homini dedit Cappam illam valdè præciosam aurifrigio ex omni parte ornatam dedit &c. Antistes* Beneuentanus *in* Concilio Barensi *summam rei exposnit, & eo ordine quo descripsi, & Cappam ab Ecclesia* Cantauriensi *adeptam esse declarauit, qua de re certior effectus putaui aliquibus gratum hoc ipsum huic opusculo indere, licet propositum narrationis tramitem, me hoc agendo non nescirem excedere &c. Eademerus Monachus in Cantauriensi* Cœnobio *claruit*, & Anno 1121. obiisse aduertit Vossius.

Casim. Oud. supplem. de script. Eccles. Vossius de Script. lat.

Huius enarratio suspectissima habetur, quam idem profitetur Eademerus adiunctam extra ordinem temporum, & tramitem suarum lectionum, *quod putaret aliquibus gratum futurum*, his nimirum, qui à puriori Catholicæ fidei cultu extorres de Simonia notare adoriuntur Præsules Italos, quæ planè in hac hypotesi esset apertissima, quandoquidem non piè proponitur, aut liberalitèr suppositum Antistitem dedisse Brachium receptis ex post oblatis pecuniis in causam vndequaque piam erogandis, sed præcedenti ex pacto, & conuentione, ibi *Sed ipse Archiepiscopus receptũ intelligens ad suum negocium non sufficere percuntatus est vtrum Os, quod attulerat dato pretio in Ius proprium Regina transferre vellet &c. spe*

sibi

ſibi certa promittens, ſe per illud multa lucraturum; Siquidem Imma rata hominem inopia correptum in longinquis Regnis vagabundum, eleemoſina hunc præclargita dimiſerat, ſed ille Pſeudo Pontifex auri fame ſeductus vendendam obtulit reliquiam, damnantque merito, qui agunt de Simonia, quod reliquiæ connumerentur intèr res Mobiles Eccleſiæ pretioſas, probantque Pſeudo-Monacos, & impios Nundinatores falsò nomine Reliquias vendidiſse, vt apud Glabrium, & Auguſtinum teſte Ranaudo; Et cum nullibi patere poſſit Archiepiſcopum tàm longè commigraſse in regionibus, quibus ignotus, illuſuſque abſceſiſset, & antiquiores nullam de hac venditione Reliquiæ, nullam penitùs Eademerus conciuis de Reliquiæ exiſtentia ad ſua tempora in Eccleſia ſuæ Patriæ Cantaurienſis memoriam reliquerit, euincitur has enarrationes vti aniles explodendas, ab his, qui in puerili ætate vidiſse, & accepiſse profitentur traditas.

De opere Monac. cap. 28. Ranaudus de Reliq. Sanct.

Doceat igitur Eademerus Scriptorum teſtimonio, fide actorum publica de iuramento Archiepiſcopi coram Imma, ſummiſque Viris præſtito, de donatione eiuſdem Brachij, de exiſtentia Reliquiæ, quam vidiſſet, & adoraſſe aſseruiſset ſi fuiſset ad ſibi fidem promerendam, alioquìn lectio inueriſimilis, & nullibi verificata ab infeſtiſſimis Anglis ad notam Simoniæ inurendam Sanctiſſimo Antiſtiti Beneuentano vulgata præſumitur, & facit regula ab Aduerſarijs præfinita *non credi Auctoribus de auditu ſcribentibus*, maximè cum narrata potuiſſent ab hoc Ciue ferè coæuo oculari actorum, reique inſpectione facilè verificari.

Diſſert. lat. p. 16

(H) *ALPHANVS*-Nomen omiſit Antiſtitis, ignoratum, quòd nulla huius rei fama hæc circumferente minimè innotuerit, vel actorum teſtimonio, vel diſtincta traditione, Beneuentano nullo penitùs teſte, nec quidē recentiori verificata, ſed hæc recens nata credenda eſt poſtquàm prodijt in lucem Pariſijs anno 1675. puerile Angli commentum, & nemo hucuſque de fabuloſis illis famis, futurorumque contingentium præſagijs teſtis pro-

fertur,

fertur, nec eiusdem Alphani assertione, qui non omisisset, nè in priuatum vsum pecuniam erogasse à suis incusaretur, optimè gnaris distractum fuisse Brachium, quod priùs *in ipsa* (vt asserit Eademerus) *Beneuentana Ecclesia ob huiusmodi necessitudinum subsidia seruaretur*.

(I) *IMMA*. Voces vulgi indigestæ vberiùs verificantur, quod nec annus 1017; nec reliqua congruunt, quod Imma ad annum MXIII. Duci Normandiæ missa fuit ab Ætheludo Rege, eoque extinto ibidem mansit cum filijs sæuitia Regis Cnutonis Successoris in fugam disiectis: Ad annum verò MXVIII. de Mense Iulij in Matrimonium cum Cnutone copulata est Præsule Ziuingo, cui ad annum MXX. Successit in Archiepiscopatu Cantauriensi Hethelnothus, vt disertissimè probat grauissimus Scriptor Matthæus Vvestonosteriensis, qui ad Annum MCCCVII. Chronichon perduxit.

Vvest. Chr.

Alphanum nec fuisse in humanis probat Vipera, & ad annum MXV. Successorem præfuisse Vrsum Archiepiscopum ex bulla, monumentisque per eum visis, cui standum omninò esset, quòd primus Chronologiam Beneuentanam ex scripturis inter blattas, & tineas confictantibus eruisse asserat; nec ad ipsum Archiepiscopum spectabat Prouinciæ opem parare, sed ad Ducem Beneuentanum, qui latè dominabatur in diuiti regione illius Principatus, cuius annonam, & Romam, & Neapolim à famis incommodo subleuasse passim profitetur Vipera.

Vipera Chronol. Beneu. in Vrsum.

Verum etiam concesso Aduersarijs hanc videri Eadameri enarrationem, non tamèn elicitur vltrà Os venditum corpus in eadem Ecclesia requieuisse, nec Alphani dicto, qui iurasse asseritur, nec Rofridi, cum quo collocutus dicitur Eadamerus quamuis eiusdem dumtaxat Angli testimonio; Sed tantùm is dicit - *idem quippe Brachium in Ecclesia Beneuenti ab reliquo corpore seruabatur remotum*, quod scilicet corpus alibi, nimirum in Vrbe, vt diximus, adseruaretur, aliquod verò Os venerabile in ea Ecclesia inesset, & explicatio non potest videri

deri

deri extranea pro qua militant innumeri permanentiam ſacræ Vrnæ in Lycaonia comprobantes.

Gallia denique aſsurgat ingeniorum ferax, ſiquidem vltrà aliud brachium Apoſtoli, quod dicitur donatum Comiti Pennarum, & 23. petia digitorum, partim integra, partim effracta, quæ recens dicuntur reperta ab Aduerſarijs, vt in ſua ſede dicemus, patet ex Martyrologio Gallicano in eo Regno venerari duo Apoſtoli Brachia, vnum *integrum* cum digitis, aliud paritèr *integrum* detracta pelle, integrum os brachii ſeruant Auximates; quibus omnibus ſedulò expenſis, anilis fabula Eademeri de Simoniaca reliquiæ venditione euaneſcit penitùs.

N.III. Conuallat hanc veritatem (L)*Suggerius Abbas Monaſterij S. Dionyſii*, qui poſt diſſolutum Concilium Lateranenſe anno 1122. Roma reuerſus, venit ad diuerſa Sanctuaria huius Regni, vt ſcripſit ipſemet Suggerius in vita Ludouici Craſſi, & teſtatur, ſe veniſſe hùc Beneventum, & viſitaſſe corpus B. Bartholomæi; & quia non actus, ſed cauſa actus eſt attendenda, *Rota apud Coccin. deciſ.* 134. *n.* 1. & poſterior actus oſtendit mentem agentis in actibus præcedentibus, *Rota apud eundem deciſ.* 1609. *n.* 7. dicendum eſt perneceſſe, quod Abbas iſte habùit pro vero ſacrum hoc corpus non adeſſe Romæ, quia viſitaſset ibi, ſed adeſse hic Beneuenti, quò venit ad viſitandum, & Author iſte eſt ſingulariſſimæ authoritatis, nàm fuit perſona ad Concilium generale Lateranenſe accita.

(L) *SVGGERIVS* aſserit viſitaſse diuerſa Sanctorum loca, nempè S. Benedicti Caſſini, S. Bartholomæi Beneuenti, S. Matthæi Salerni, S. Nicolai Bari, SS. Angelorum Gargani, hæc autèm mirabiliora ſunt Regni loca, & Baſilica Beneuentana gratijs, indulgentiiſque locuples eſt, quod in ea olim manſerit Beatiſſimum Corpus, & hæc eſt cauſa quarè Suggerius ad earum venerationem perrexerit; Suggerius tamen, nec

alius

alius quiſquam profeſsus eſt adoraſse Corpus, ſed viſitaſse Eccleſias, & loca S. Bartholomæi, ſicuti certè Eccleſiam SS. Angelorum Gargani viſitauit, quorum Corpora cum puri ſint ſpiritus veneratus non eſt; ſique corpora adoraſſet tàm Bartholomæi, quam Benedicti, & vidiſset, & crediſset, eadem facilitate verbis expræſiſset.

Et nos inſuper adducere poſsumus innumerabiles magnos viros, qui Romam adeuntes ad Baſilicam huius Apoſtoli confluentes, & Eccleſiam, & ſimùl Sacrum Corpus venerantur, imò ipſos Pontifices, quorum nec vnum, in totidem Concilijs Beneuenti celebratis adoraſse Apoſtoli Reliquias anteferre potuerunt Aduerſarij, & habemus ex ſupradictis Auctoribus quamplures de hoc percelebri Sacri Corporis cultu teſtantes; Et denique conſimili obiecto à Caſſinatibus excitato ſuper veneratione Corporis S. Benedicti, (quod dicunt cum ſuo Oſtienſe ineſse Caſſini) probè quidem ſatisfacit Clariſs. Mabillonius inquiens — *Neque tamèn quiſquis deuotionis cauſa ergà Caſſinum profectus eſt, de Corpore S. Benedicti cogitauit, habetque, & Mons Sacer venerationem ſuam, vtpotè S. Patris veſtigiis, & tumulo conſecratus*. Benè: idem dicendum profectò eſt de Religioſis Beneuenti locis, quæ ob exiſtentiam in exactis temporibus illius ſacri pignoris pleniorem venerationem aſsecuta ſunt.

Mabil. tom. 2. de transl. S. Benedicti p. 348.

N.IV. Imperatrix (M) *Florida* Lotarij Imperatoris vxor voluit anno 1137. Beneuentum venire, & viſitare Corpus B. Bartholomæi, teſte (N) *Falcone* ſcriptore probatiſſimo, & a ſecretis Inn. PP. II. vt in *Chron. Beneventanis* habetur, qui & interfuit. Nec Auguſtiſſima hæc perſona, nec ſummæ eruditionis viri, qui ſimilibus ſupremis Perſonis aſſiſtere ſolent, reliquiſsent ſuggerere Imperatrici veritatem. Nàm ſi pro vero habitum fuiſset, quod Corpus B. Bartholomæi Romæ habebant, cur illud Beneuenti quærere? & hic applicantur iura n. 3. expreſſa.

(M) *FLORIDA* Hæc profert Falcon Beneuentanus;

Impe-

Imperatrix ad Annum 1137. militibus ferè centum assumptis ad Ecclesiam S. Bartholomæi venit portam auream ingrediens, & Missarum solemnia ibi audiens pallium quoddam super Altare S. Bartholomæi, & libram vnam argenti obtulit.

Moderni Beneuentani ex hoc Scriptore, quem probatissimum asserunt (quamuis innumeris mendis castigatum nobis offerat Peregrinus post librum de Principibus Longobardis) nullatenùs valuere desumere ad ea tempora existentiam Sacratissimi Corporis in ea Basilica, quam omninò exposuisset Falco si credidisset, quòd ad ea tempora reī fama percrebuisset, agens de aduentu Floridæ ad Ecclesiam S. Bartholomæi, & pluribus locis, vt dicemus de S. Bartholomæo Apostolo; nulla tamèn habetur memoria Sanctissimi Corporis, quod auidiùs exposuisset, & piissimè Floridam veneratam fuisse oblatis donis pateret ex fide Auctoris Conciuis.

Respondere paritèr possum, quatenùs huius Aduentum satis credamus probatum ex testimonio vnius Chronistæ Beneuentani, Floridam, Ecclesiam, & altare perpetuò etiam post oblationem sacri Corporis S. Bartholomæi dicta veneratam fuisse, non Vrnam, aut Corpus Apostoli; Et retorqueo argumentum (quod paritèr in quibusdam infra referendis repetitum volo,) nàm si Beneuentum adeunt tam insignes personæ instinctu pietatis quarè deindè spectabile Corpus non Beneuenti venerantur? si quærunt Beneuenti, cur non inuentum fatentur? addito quod in quatuor dissertationibus Viperæ, Mascambruni, Sapientissimi huius Scriptoris, ac I.C. Iannelli toto nixu, ingenioque compactis, editisque, neminem Corpus sacratissimum semel veneratum olìm fuisse ex idoneo teste nobis liqueat, nisi ex Bulla Arnaldi, qui primus & vnicus illud Populo ostendisse professus est, cuius fides quanti habenda sit patebit interiùs.

N. V. Testatur de hac veritate existentiæ Corporis B. Bartholomæi in hac Metropolitana Ecclesia *B. Iacobus* (O) *à Voragine Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Ia-*

nuensis, qui floruit anno 1298. & in *Legendario Sanctorum abbreuiato* affirmat quamplurima in sepulchro S. Bartholomæi miracula Beneuenti perpetrari; cui tamquam Pontificali dignitate suffulto, fides indubia dari debet, *Gabriel lib. 1. tit. de prob. concl. 3. num. 8.* quia est omni exceptione maximus.

Vorag. legenda S. Bartholom.

(O) *EX VORAGINE* hæc habentur *Apostoli Ossa dicitur quod sint Romæ, licet Beneuentani adhùc Corpus habere affirmant*, & ferè eadem verba adducit Ferrarius à Mascambruno laudatus; affirment hi quantùm velint, quandoquidem (dempto Ostiensi) ex antiquis historicis neminem id ausum asserere vidimus, & Voragines rem dubiam fecit, inquiens vulgatum Corpus Romæ inesse, quod nos omnium Scriptorum fide comprobauimus, vt meritò rumor vulgi Beneuentanorum nullius fidei à reliquis habitus sit, & à grauibus Viris Beneuentanis, vt sæpè diximus, qui ante tempora Arnaldi Archiepiscopi munere Anno 1333. fungentis nullum monumentum editum est, quod proferre valuerint studiosissimi Aduersarij. Immò idem Voragines inferiùs ait; *Corpus requiescere Romæ in Eccliesia eius nomini dicata magno honore veneratum.*

Nec Voragines qui post tot sæcula à translatione Othonis fuit in humanis, magnam meretur fidem nisi habeat contestem antiquum subparem, vel saltem fide dignum, vel insigne monumentum, quo nitatur. Rem certè mirandam inscribi à Voragine deindè narrant Adversarii, nam cum Federicus Capta Beneuento Ecclesiam dirui mandasset, Beneuentanus quidam albatos, effulgentesque Viros simul colloquentes exaudiuisse dicitur, & dicentes qua pœna Federicus plectendus videretur, & eidem Beneuentano interroganti vnum ex eis respondisse -- *Iste est Bartholomæus Apostolus cum cæteris Sanctis, quorum in hac Vrbe Ecclesiæ seruantur*; igitur si piè deferamus huic testimonio, pateret ibidem fuisse seruatam Ecclesiam, non Corpus, & ipsam Ecclesiam minùs decentèr habitam, non autèm Sanctum Corpus

Apo-

Apostoli; de eodem vtpote venerabilissimo, à quo Basilica nomen, decusque omne suscepit, quarè Sancti Viri nullum verbum fecerunt? quamuis non sit in hac enarratione certa fides Voragini deferenda ex supradictis, tùm quia in suas legendas transtulit omnia quæ scripta reperit, accepitque vulgò tradita.

Nos pariter fatemur Ecclesiam ipsam Beneuentanam, quamuis remoto Beatissimo corpore miraculis, de quibus Voragines, clarere potuisse, tùm quia innumerabilium aliarum reliquiarum locuples est, tùm quia sepulchri locus, in quo sacra Ossa olim detinebantur venerabilissimus est; tùm etiàm ob facilem, piamque quorumdam Incolarum fidem ibidem inesse sacra membra profitentium; & Cassinatibus consimili argumento miraculorum suffultis, quibus probari prætendunt existentiam Corporis S. Benedicti Cassini ingeniosissimè respondit clariss. Mabillonius -- *Gregorius magnus, quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrum ne ad exaudiendum, ibi præsentes sint Sancti vbi constat, quod in Sacris Corporibus non sint, ibi (ait) eos necesse est maiora signa facere, vbi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare*, probatq; Ranaudus, & aliquandò Sancti per innoxium errorem interpellati animum spectantes non factum, nihilominùs fauent, vt fusiùs ex Anonymo describente miracula S. Benedicti, & de S. Ignatio legimus, quod inuocatus sub nomine Anastasij præstò fuit. Ran. de cultu sanc. puncto 10 fol. 544.

N. VI. Sancta (P) *Brigitta* ex diuina inspiratione anno 1372. Neapolim venit visitans sanctuaria Regni, & Beneuenti visitauit Corpus Beatissimi Bartholomæi; & plùs probat vnum factum, quàm centum iura, *Cardinal. de Luca de emph. disc. 2. num. 3.*

(P) *S. BRIGITTÆ.* Hactenùs non constat de accessu ad Beneuentum ex Moderno, obstarentque præmissa veneratam fuisse Ecclesiam, nulla habita ratione sacri Corporis, quod si vnquam Burlamachius, vel alius quisquam id asserere ausus esset, ex quibus antiquis, vel saltem condignis documentis depromitur? P. Burlamachius vita S. Brigit. fol. 2.

ignoramus an Brigitta crediderit recondi in ea Ecclesia (ad quam perrexisse asseritur) Apostoli Corpus spectabile, quod si venerata fuisset expressis verbis, certisque, & antiquioribus monumentis exceptum fuisset, & conferunt quæ ex Mabillone superiùs diximus.

N. VII. S. (Q) *Antoninus* Ord. Præd. Archiepiscopus Florentinus, vita functus ann. 1459. *Hist. p. 1. tit. 6. c. 12.* (qui in Regno Neapolitano, & in Vrbe versatissimus erat) ambiguitatem omnem tollit per hæc verba: *Communiter tenetur Corpus eius haberi Beneuenti: licèt & Romani asserant se illud habere*, & testi tàm insigni in doctrina, & sanctitate attestanti de communi credentia est standum, cum etiam in Sanctorum canonizatione testibus singularibus (maximè viro sancto, & erudito) fides adhibeatur, quando deponunt de fama sanctitatis in genere *Far. q. 64. n. 66. de testib.*

Par. pri. historiar, tit. 6. c. 12. (Q) *S. ANTONINVS* hæc scribit -- *Saraceni deuastantes Insulam Ossa Beati Apostoli per plateam sparserunt, sed iussu S. Bartholomæi apparentis Sancto Viro, & designata quæ essent Ossa splendentia, vt ignis, collecta sunt, & Beneuentum Metropolim in Regno Apuliæ ab ipso delata, & communitèr tenetur Corpus eius baberi Beneuenti, licèt & Romani asserant se illud habere.*

Sed locuples est responsio, quia Sanctus Antoninus Archiepiscopus non magnæ fidei habetur apud Historicos, & refert Melchior Canus hunc descripsisse etiam ea, quæ in schedulis quibuslibet reperiebantur, vel vulgò narrata; & communem asserit esse opinionem venerari in Ecclesia Beneuentana, quando contrarium patet ex antiquioribus, ac ex innumeris supra relatis in Insulam Tyberis depositum fuisse; & eius improbabile assertum verificari posset, quod in Apulia (vbi degisse asseritur) ità credatur à pluribus post confictam ad Arnaldi tempora sacri depositi reperitionem; Sed idem Antoninus non id ex reuelatione asserit, sed vulgò credit non reuolutis Scriptoribus contrarium asserentibus, & nihil

certò

certò statuit, dum ait, & Romanos affirmare se illud habere, & fortè Scriptorum incuria ille locus non probè typis editus est, quod in indice notabilium legatur -- *S. Bartholomaus Beneuentum, deindè Romam translatus est.*

S. Antonin. histor. Biblioth. Angelica Vrbis in Indice Operis.

Denique singulæ præmissæ auctoritates, etsi leuis ponderis ad concordiam trahuntur, nimirum Romam translatum fuisse Corpus, Beneuentanos aliquam reliquiam seruare, vnde totum Corpus, cum sit eiusdem virtutis habere gloriantur.

N.VIII. *Angelus* (R) *Cato* Supinas *in Epist.* nuncupatoria Pandectarum *in Medicinam Matthæi Syluat.* scripta anno 1474. ascribit summæ gloriæ Ferdinandi I. Regis Neapolis in hoc Regno adesse multa corpora Sanctorum, & signanter Beneuenti Corpus beatissimi Bartholomæi.

(R) *CATO* cum Ferdinando primo Neapolitanorum Regi in breui oratione adularetur, ait obitèr quidem maximè hunc gloriari posse Beneuentum in sua regni ditione situm, Corpus S. Bartholomæi asseruare.

Respondere etiàm possum hunc paritèr asserere ausum esse, (vt mihi testis est Mascambrunus) Corpus S. Benedicti reperiri Casini, cum Auctores coæui, & his proximi, probique nominis illud in Galliam translatum certò certiùs affirment teste Mabillonio, Carolo Tremensi, ac Martyrologio Menardi cura PP. Benedictinorum lato, & Gallorum auctoritates sibi magis arridere testatur Bollandus pòst Baronium inhærentem Scriptoribus illius temporis, qui fundant indubitatam translationem, vt ex his magis aperta prodeat adulatio; cum etiàm hæc insignis controuersia non sit auctoritate Astrologi Moderni Catonis (quem ex Beneuentanis inscribit Mascambrunus) definienda, qui glorianter pariter in quibusdam versibus inducit Siluaticum dicentem se magis Angelo, quam Patriæ debere.

N.IX. Confirmat pleniùs quæ diximus *Fr.* (S) *Robertus Caracciolus de Liccio* Ordinis Minorum *Episcopus Aquinaten-*

natensis, qui obijt anno 1495. in *prima parte sermonum de laudibus Sanctorum*, qui sermones fuerunt *impressi Venetiis* apud Bernardinum Benalium anno 1490. nàm in sermone 42. de S. Bartholomæo Apostolo *cap. 2. fol.* 135. hæc habet: *Apparuit Apostolus cuidam Monacho, &c. qui omnia vt dixerat inueniens, Apostoli ossa leuauit, & super quandam nauem conscendens Beneuentum ea transtulit*, & pro vera existentia subiungit: *Gaudeo ò Beneuentana Ciuitas ditata tanto munere &c. non ab re disposuit sapientia Dei, vt ex Liparitana Insula sacrum hoc pignus ad te deferretur*, & hic aptantur iura, quæ diximus num. 5.

(S) *ROBERTVS* I.C. Iannellus, qui omnia hæc scripsisse ait, ex hac dissertatione latina neglexit Lixiensem referre tamquàm parum negotio profuturum, tum quià vt videre est glorianter quidèm Beneuentanis finitimis adulatur, tum quià duobus cum ab hinc sæculis floruerit non releuat in rebus ab eius ætate longè absentibus, nisi ex historicis antiquioribus, (non legendis, & sermonibus) fideque dignis verificetur, & auctoritates, quæ post Arnaldi commentitiam reperitionem coaceruantur ex his Neapolitanis vulgari Beneuentanorum opinione seductis, nihil omninò conferunt ad causæ definitionem. Idemque Robertus parum consultò rem expendit, quod asportationem ad Ciuitatem Beneuenti anno Domini CCCXXXI. factam fuisse asserat, & nisi locum incuria corruptum præsumant Aduersarij liquidè patet, quæ vulgò accepit incuriosè transcripsisse.

Carac. Ser. 42. in Bibliot. Coll. Rom.

Quod autèm *indubia fides præbenda si Roberto*, vt pariter Voragini *Episcopali dignitate suffultis* non procedit cum suspicio prudens ingeritur, vt ex præmissis patet, & cum testis proferantur in rebus tam antiquis, & cum ex aliis erronea enarratio conuincitur, & cum deponant de rebus ad suam Ecclesiam non pertinentibus.

N.X. (T) Zenobius Acciajolus Bibliothecarius Vaticanus sub Leone X. in Oratione recitata Neapoli in comitijs Generalibus suæ religionis Dominicanæ anni 1515. hanc veritatem conuallat sub illis verbis: *S. Matthæi*

Cor-

Corpus apud Salernum, *S. Bartholomæi in Beneuento*.

(T) *ZENOB.* Hæc Oratio an edita, an M.S. sit non aperiunt Aduersarij, nec diuersimodè adstantibus regni Magnatibus perorare valuisset hic Modernus, & ex verbis ex aduerso transcriptis nõ satis declaratur an maneret tunc Beneuenti, an olim sacrum Depositum -- *licet Zenobij oratoriè potiùs, quam historicè dicta censeri*, scribat Mascambrunus, subdens hæc legi in eadem oratione -- *Apostolorum Matthæi*, & *Bartholomæi reliquias*, & in notis dictæ Orationis *S. Matthæi Corpus apud Salernum*, S. *Bartholomæi in Beneuento*, S. *Benedicti in Monte Cassino*, non tamèn explicat cuius sint notæ, certè plurima verbositate, ac iactantia conflatæ apparent, aliud quippè est Beneuenti reperiri aliquam reliquiam, aliud verò totum Corpus, vt videtur Aduersarijs asseri in notis.

N.XI. *Annibal* (V) *Mascambrunus Episcopus* Stabiensis suas primas manus dat in testimonium plenissimum prædictis omnibus in *dissertatione* super hoc facto typis data anno 1636.

(V) *MASCAMBRVNI* dissertatio in hoc sæculo conserta, ferè omnia comprehendit argumenta, quæ à nobis reiecta superiùs sunt; Respondetque Mabillonius in consimili quæstione de asportatione S. Benedicti in Galliam -- *nemo inficias eat præferendos eos esse quibus grauium Auctorum exterorum testimonia suffragantur, cum Cassinates extraneorum suffragiis destituantur prætermissis domesticis consulant extraneos*. Benè quidèm; hoc ipsum militat aduersùs Beneuentanos, qui nituntur in exiguis liberculis Benedicti Falconis, Angeli, in sermonibus Caraccioli, Pseudo-Ostiensis loco, Vipera, Mascambruno, Arnaldo, qui omnes, vel Prouinciæ, vel Patriæ, vel Ecclesiæ gloriam affectasse reperti sunt. Idemque Mascambrunus detulit primus relatæ Ostiensis auctoritati, cum alij illam referentes rem dubiam faciant, & confert Pollionis locus aduersùs Liuium; quod pleraque per alios gesta *temerè* primus *crediderit*; Primus Vi- Tom.2. L.C.

perinis bullis detulit, quamuis non adeò graui censura inurendus sit, quod non originalia (vt rei dignitas omninò exigebat) sed quædam transumpta manu Viperæ facta solum vidisse asseruit, ea quippè est dubiarum rerum conditio, vt primi parum his deferre, sed ea degustare videntur, posteri deindè rei gloriam, & certitudinem affectantes pro veris, & originalibus pandant, & Tacitus *quoquomodo*, inquit, *audita pro compertis habent, alii in contrarium vertant vera, & gliscit vtrumque posteritate*. Tac. Lib. 2.

Et eodem anno 1636. editus fuit liber Mascambruni, ac Marij Viperæ, hic tamèn minùs Ciuium suorum credulitati fauens parum deferre visus est pluribus per Mascambrunum relatis, sed sæpiùs cum Breuiario Romano rem examinandam censuit, nec semèl cum eiusdem sententia vltimo loco relata, rem dubiam facit inquiens -- *Baronius dicit Corpus Apostoli Romam translatum excepto Corio, & huius sententiæ est* Breuiarium *Romanum*, & relato Ostiense ait, *sed ex* Breuiario *Romano habetur Corpus S. Bartholomæi Romæ in Insula requiescere*, idcircò huius nomen in Aduersariorum Criticis elucubrationibus desideratur. Vipera Chron. pag. 36. 79.

N.XII. (X) *Vghellius tom. 8. Ital. sacr. col.* 110. factū istud in claro ponit; nàm dicit diù se hæsitasse super hoc facto, sed cessisse fidei *Bullæ* originalis *Leonis* IX. asserentis Corpus B. Bartholomæi hic Beneuenti asseruari; & Author iste de rebus Ecclesiasticis tàm apprimè scitus, qui diù noluit suum aperire de hac re sensum, certum est, quod volutauerit omnes sacras historias, & tamen dicit se conformare huic nostræ veritati; Et his Chronistis, qui communi studiosorum calculo per academias iamdiù probantur, & libros, rerum euentus, & circumstantias diiudicant, fidem esse præbendam habetur apud *Mattam loco cit. n. 21. cum sequentibus*.

(X) *VGHELLII Moderni* locum transcribunt Aduersarii -- *diù hæsitaui meam sententiam aperire, vbi verò incidi in diploma quoddam originale Leonis IX. haud me continere* Vghel. Tom. 3. p. 110. Ital. sac.

tinere

tinere potui, quin illam propalarem, Corpus S. gloriosissimum adhùc Beneuenti *asseruari, siquidem illa translatio, siue facta fuerit* Beneuento Roma *anno* 983, *vt asserit* Baronius, *siuè anno mille, vt volunt alij, tamen me mouent magis verba Leonis, quam testimonium vllum Segeberti, aut Frisingensis, præcipuè cum à translatione asserta ad Pontificatum Leonis vix interciderint* 50. *anni*.

Miror Vghellium adeò allucinatum, & adeò detulisse enunciatiuæ vnius diplomatis ad alium finem lati, vt ipse profitetur post Viperam scribens -- *ab eodem Pontifice accepit litteras pro Archiepiscopatus, Ecclesiarumque subiectarum confirmatione*, vt neglexerit expendere tot fundamenta, quibus inhæret Baronius per eum relatus, nimirum inscriptionem Paschalis, & acta Alexandri III., priuilegia Romanæ Ecclesiæ, quæ in Archiuio Vaticano adhùc seruantur, reperitionem eiusdem Sacri Corporis in Insula, vt ex fide Roberti de Monte ponderat, probatque Baronius, quibus omnibus satis liqueret Pontificem deceptum ab instanti vulgò Beneuentanorum, à quibus profugus honorificentissimè habitus fuerat teste Vghellio post Leonem Ostiensem; addit ille vlteriùs -- *vbi eiusdem Apostoli corpus asseruari volunt* nimirum Beneuentani, à quorum testimonio deceptus est, & fortè non viso, dum longè abesset, nec satis explorato Leonis priuilegio huic sententiæ subscribit. Leo lib. 3. Vghel. l.c.

Addit insuper -- *Mascambruno addenda videntur huius priuilegij verba cum illa non afferat fortassè, quia ei non fuit ad manus hoc priuilegium, & omninò ei incognitum fuit*.

Non quidem credendnm Mascambrunum omittere voluisse verificare veritatem, & integritatem huius originalis si fuisset, tamquam vnicum (vt visum est Vghellio) huius sententiæ fundamentum, quo labente, vt videbimu,s vna corruit Vghelliana decisio, cum eodem vnicè nitatur; nec post dici hoc priuilegium Mascambruno *incognitum fuisse*, cuius saltem indicauit transumptum excriptum cura M. Viperæ ex Beneuentanis sibi coæui, vt nihil omitteret, quod crederet suæ opinioni fauere quodammodò posse, inquiens -- *multa diplomata non appa-* Mascamb. dict. differt. p. 12.

rere ſuppreſſa iniuria temporum, *pauca verò exemplaria à Mario Vipera conſcripta*, *vt ad me peruenere ea ſunt* Benedi-*cti XII. Bonifacij IX. Clementis VI. Vrbani V. quæ confirmat bulla Leonis*, quæ ſi fuiſſet originalis nec obitèr de ea meminiſset, quin gloriantèr quidèm verba eiuſdem excri. pſiſſet, vt planè mirandum ſit Criticos recentiores, & exterum Vghellium cura ſui operis inuolutum aſserere modò bullas originales Leonis, ac Stephani, & plurium aliorum Pontificum reperiiſse, & harum enunciatiuis fidem adhibuiſse ad quæſtionem definiendam. Ex quibus, & infradicendis qui ſuis cordatus prænoſcere poteſt quantum definitioni Vghellianæ parum conſultò latæ ſit deferendum.

Verum P. Vghellium illuſum fuiſſe opinor ex his, quæ ſuperaddit -- *hoc priuilegium integrum recitat* Marius *Vipera*, *licèt vbique mendis ſcatens*, *illudque deſumpſiſſe opinor ex quodam tranſumpto ab authographo facto iuſſu Arnaldi Archiepiſcopi anno* 1334, *& licet tunc temporis prædictum diploma integrum extaret*, *& nunc ſit corroſum libuit tamen noſtro* Cœleſtino *ex eo tranſcribere illa*, *quæ potuit*.

His Vghellius rem dubiam fecit per meras diuinationes incedens, quandoquidem de hoc tranſumpto facto per Arnaldum nemo meminit, nec Aduerſarij in his diſsertationibus acri ſtudio conflatis, niſi dicatur tunc fuiſse ſuppoſitum ab aliquo ex Beneuentanis extare bullam, cuius exemplar tunc confictum exciterit ad colorandam procuratam ſuppoſititii corporis repetitionem in vulgò Accolarum facilè fidem præbentium.

Et fucata Vghellii verba, vbi *verò incidi in quoddam originale* poſsent verificari ab eodem aſseri viſum, niſi hic ſuperadderet à ſuo Cœleſtino (cuius fides, vt æquè peritia carattherum illorum temporum mihi ignota eſt, & ex dicendis ſuſpectiſſima) tranſcriptum fuiſse, quamuis corroſum; hoc autem ſi fuiſset inſubſtantialibus conſumptum potiùs diuinaſse Cœleſtinum liqueret, quādoquidem Vghellianum differt maximè ab eo, quod priùs reddidit Vipera, vt dicemus, ſique ab Vghellio viſum fuiſset, & extitiſset tempore Viperæ incorruptum,

non

non adeò inter se diffiderent verba priuilegij per vtrumque ad litteram transcripti, sed concordarent tamquam ex vno fonte deducta.

Nec idem aperit Vghellius vidisse præsuppositum Viperæ Beneuentani exemplar, & vndè deducat esse exemplar Arnaldi non tempore Viperæ efformatum cum imitatione antiqui Caractheris: huius tantum transumpta vidisse mihi testis est Mascambrunus, quamuis hodiè ab Aduersarijs Bullæ pro veris, & originalibus habeantur; non tamèn inposterum negligent has à Peritis recognoscendas exhibere, vt egerunt pro verificanda antiquitate laminarum, quamuis hoc sit refugium miserorum, cum peritissimus quisque in recognitione veterum numismatum, lapidum, & caractherum à solerti moderno aliquo Artifice compaginatorum passim decipiatur, idemque Vipera profitetur -- *in illa antiquissima tot scripturarum colluuie varijs litterarum Longobardarum intricatis caractheribus vetustate corrosis, ac planè consumptis, multum elaboraui, ac maxima industria insudaui has breues Sanctorum, quas inuenire potui historias contexui*; ex huius testimonio patet excerptas esse aliquas scripturas ex antiquissimis caractheribus Longobardicis, non ex transumptis Arnaldi, ad cuius ætatem non adeò *intricatis caractheribus* vtebantur, antiquas verò Scripturas fuisse planè consumptas temporum vetustate.

Cæterum subtilissimus P. Papebrochius irridet Bullas Aduersariorum *corrosas*, & quæ *incorruptæ* non fuerint inquiens -- *Respondere possum bullam non extare, vel saltèm non esse incorruptam, vel non in nomine Pontificis esse planè erroris expertem*. Papebroc. in responf. ad accusat. P.Sebast. à S.Paulo art. 2

Mascambrunus superaddit, ea quæ dixit de permanentia Corporis S.Bartholomæi apud Beneuentum comprobari ex *Falcone*, & Falcon pluribus in locis meminit de S. Bartholomæo, numquàm verò hic Ciuis, Notarius, & vnus ex Iudicibus Beneuentanis Corpus ibidem inesse, & veneratum fuisse testari ausus est, cum opportuna sibi data esset occasio, vt videbimus in sequentibus. Falcon. ad Annum 1137.

Primò dicit quòd Florida Imperatrix super Altare

S. Bartholomæi dona obtulit, cui obiecto supra satisfecimus numero IV.

Falcon. p. 209. & 329.

Deindè refert Falcon: Landulphum Archiepiscopum Corpora SS. Marciani, Dori, ac Sociorum palam Populo statim ac detecta fuerunt ostendisse, inquiens -- *Credo sub B. Apostoli Bartholomæi Patroni Ciuitatis aduentum ità pariter gaudio magno Ciuitatem impletam fuisse*, & de adinuentione Corporis S. Barbati Anno 1129. *quale gaudium Lector aspiceres, & alacritatem cum longè Margaritas optatas nostris temporibus inuenimus.*

Hic Falcon loquitur de aduentu Apostoli vsque ad hæc tempora Patroni non autèm firmat existentiam S. Corporis, & tamen hic, vel alibi non erat omittenda suppofititia Othonis translatio, & corporis permanentia, & hoc valido argumento vtitur Mabillonius -- *hic locus erat, siue vbilibet alias commemorandæ translationis S. Benedicti Cassinum, si eam agnouisset Herkempertus.*

Mabill. tom. 2. de transl. S. Bened. p. 344. n. 18.

Profert etiam Falcon insignem victoriam à suis relatam -- *Cum autem victoriæ fama Beneuentum attigisset, populus gaudio magno repletus ad Episcopium, & Monasterium S. Sophiæ vigilias, & laudes persoluit?* Hic paritèr est sermo de Ecclesiæ titulis, non de sacris ossibus, quæ tunc venerari non desiisset Populus si fuissent; & est alius Falconis locus -- *Rex*, inquit, *Ciuitatem ingreditur, & Curiam D. Papæ ascendens, deindè ad Episcopium pergit, & B. Mariæ Basilicam, & B. Bartholomæi Apostoli ingrediens orauit, & ante altare S.* Mercurii *se prostrauit.*

Falcon. p. 333.

Hæc fermè potiora sunt Falconis loca, in quibus cum nullus sit sermo de corpore, asseri vtique potest Mascambrunum nullum proiicere voluisse fundamentum in authoritate huius Conciuis, qui non omisisset indicare corporis permanentiam si verè ibidem fuisset; Et quamvis hæc argumenta videri possint negatiua, replicamus vim argumenti negatiui maioris esse ponderis, cum Scriptores pluries, vel semel de tali re apud eos adeò insignis claritatis memoriam habentes, nihil penitùs protulerint, quidquid esset dicendum, si sermo non incidisset opportunus, vel penitùs neglexissent; Et simul aduerto Adversa-

versarios nos sæpè argumentis negatiuis aggressos fuisse, vt in superioribus egimus, verùm cum nos foueamus alia fundamenta affirmantium hactenùs incorrupta, faciliùs, quæ ex quorumdam silentio erui prætenduntur concidunt.

DISSERTATIONIS LATINÆ.

§. II.

Accedunt Sanctorum Fasta.

N.XIII. Comprobat existentiam Corporis B.Bartholomæi Apost. in hac Ciuitate Martyrologium editum ab *Vsuardo* Monacho S. Benedicti Cænobij S. Germani Parisiensis Alumni in lectione 9. *Kal. Septembris.*

N.XIV. Similiter & aliud Martyrologium *Vvandelberti* Diaconi pariter Monachi Benedictini in Monasterio Prumiensi Diœcesis Treuiren. ibi: *neque illum &c. Beneuenti & templa tenere.* Et licet isti scripserint ante annum 1000. nihilominùs *Ioannes Molanus* in expositione facta ad Martyrologium *Vsuardi in editione Lovaniensi de Anno* 1568. tractauit de martyrio Sancti Bartholomæi, & exscripsit carmina *Vvaldelberti*, hoc est: *Beneuenti, & templa tenere*, & nihil dixit de asportatione ad Insulam Tiberinam; Imò ipse author asserendo teneri in templo Beneuenti, negauit asseruari Romæ; cum idem corpus non possit adesse in pluribus locis, *Pacian. de probat. lib.* 1. *cap.*36. *num.* 19. & quando tractatur de negatione facti magni momenti, vt est res ista, præsumitur ipse testis benè informatus, idem *Pacian. cap.*48. *num.* 18. maximè in hoc Authore tam magnæ eruditionis, & prudentiæ.

Ad

AD vtrumque respondemus Molanũ egisse de Martyrio S. Barthol. nec exquisiuisse numquid è Zara ad Liparim translatum fuisset, nùm deniquè Beneuento Romam, sed vt passim adsolet vsus est peruetusto metro Vualdelberti, & cum reperiri adhuc Beneuenti proprijs non aserat verbis minùs confert ad causæ definitionem in rebus tàm antiquis.

N. XV. Eadem fides datur Martyrologio *Adonis* Archiepiscopi Treuirensis de anno 1083. in lectione; *Nono Kal. Septembris celebratur.*

PAritèr Ado eadem profert carmina, quæ Vualderberti dicuntur, haud exquirens numquid alibi tunc Sacrum Corpus adseruaretur; Verùm Scriptores grauissimi Martyrologii Adonem Viennensem proferunt in Auctorem, qui scripsit ante tempora Othonis, & cum antiquioribus Philippus Labbè reicit credentes esse Vdonem Treuirensem.

Ruinart. de persecut. Vandalica pag. 96.

N. XVI. Martyrologium Cœnobii *Pulsanensis*, quod M.S. veteri charactere apud Clericos regulares SS. Apostolorum Neapolitanę Vrbis aseruatur, ibi: 8. *kal. Septembris. In India passio S. Bartholomæi, qui apud Indiam Christi Evangelium prædicans decollatione martyrium compleuit: huius Apostoli sacratissimum corpus primum ad Insulam Liparis, deindè Beneuentum translatum, pia fidelium veneratione honoratur.* Quod quidem martyrologium editum fuisse post annum 1000. indè clarè colligitur, quod sub 12. *Kal. Iulij* meminit de morte beatissimi Eremitæ (Y) Ioannis Pulsanen. Ecclesiæ Abbatis, &c. cuius obitus extitit mox citato die sub anno 1139. indict. 2.

VT aduertunt Aduersarij Anonymus verba ferè omnia excepit ex Martyrolog. Adonis, & cum hoc (vt aserunt ipsi) sit antiquissimo Carachere excriptum, credi potest editum ante tempora Othonis.

Iannel. pag. 26. lit. A. B.

Et nos parum quidem deferimus quibusdam testimoniis, quæ in manibus Incolarum Regni sunt in materia existentiæ huius S. Corporis, de qua maximè quidam

eorum

eorum gloriantur; & cum Auctor sit Anonymus potuit hoc esse confectum ab aliquo ex Beneuentanis, & secundum vulgi inanem traditionem in eo Regno à quibusdam fidem adhibitam, hanc verò non esse incorruptam apud omnes Regnicolas, nec adhiberi inter Incolas, litteratosque fidem dicto Martyrologio, ex eo liquere potest, quia quamplures adduximus Auctores Chronicorum Regni, librosque quamplures Neapoli excusos, in quibus Romæ S. Corpus recondi asseritur, imò asserunt quidam eorum vulgatum esse S. Corpus ampliùs non reperiri Beneuenti, subreptumque per Othonem II., quod magis nostræ sententiæ arridet. Costus Relat. Regni. Tob. Almag. hist. pag. 48.

(Y) *IO. ANN.* incertum adhuc est cuius sit hoc Martyr. quod absque nomine probabilis Auctoris minorem sibi comparat fidem; potuit siquidem ab alio in sequentibus sæculis superaddi nomen illius Abbatis in Martyrologio asserti *Beatissimi*, immò recens potest esse excriptum imitatis caractheribus aliorum sæculorum ad fidem promerendam, omnia enim possibilia, & faciliè contingere potuerunt non docto de Aucthore, & quidem probabili allati Martyrologii; hoc autem esse illud antiquum, vt præsumunt Aduersarii hactenùs verificatum non est, nec in aliis exteris Ecclesiis apparere huius transumpta antiquis paritèr litteris reddita, quod esset vetustatis, & integritatis argumentum, vt sunt acta S. Venantij, ac complurium Martyrum à R.P. Papebrochio probata, quæ absque nomine probabilis Authoris tamen maximum præseferunt veritatis fundamentum, quod non in sola Camerinensi Collegiata, sed in longinquis Ecclesiarum Lectionariis à totidem sæculis impressis piè recondantur.

N.XVII. Contestatur hanc veritatem Martyrologium S. Ecclesiæ Beneuentanæ scriptum antiquo charactere more Longobardico, ibi 7. *Kal. Septembris natale S. Bartholomæi Apostoli, &c. cuius corpus, & Beneuentum translatum, pia fidelium veneratione honoratur.* In quo Martyrologio ordinata serie scripta legitur Bulla

Ioan-

Ioannis XXI. in qua præſcribitur rubrica de recitatione officij Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & Antiſtitis huius aſſumptio euenit anno 1316.

HOc Martyrologium non probat vt domeſticum teſtimonium, & quod à nemine ex Conciuibus, qui in ſequentibus quinque ſæculis à translatione Othonis floruere profertur, & verificatur, & tàm inopportunum ſilentium ſatis indicit quorumdam Recentiorum ſimulationes, cum traditio permanentiæ S. Corporis, deceptionis, & depulſionis Otthonianæ maxima fuiſſet vndiquè ſcripturis, ſignis conuallata, quæ omnia in his quatuor diſſertationibus deficere videmus, nec omiſſa ſi germana fuiſſent; ſique, (vt ait Modernus) hoc Martyrologium eſt ferè ijſdem verbis redditum ac Neapolitanum; hoc à Beneuentano auulſum, & excriptum probabilitèr credendum nobis eſt, quod poſt commentitiam Arnaldi Archiepiſcopi reperitionem S. Corporis, (de qua agemus) compactum nullam penitùs fidem promererur.

N. XVIII. Conuallat lectio Martyrologii Eccleſiæ Florentinæ à Gregorio Antonio Veſpucio eiuſdem Metropolitanæ Præpoſito emendati, & Florentiæ impreſſi anno 1486. ibi: *9. kal. Septembris natale Sancti Bartholomæi Apoſtoli: huius Sanctiſſimum Corpus primò ad Inſulam Liparis, deindè Beneuentum eſt translatum, vbi pia fidelium deuotione honoratur.* Ex quibus lectionibus teſtantibus Sacrum hoc Corpus adeſſe Beneuenti elicitur negatiua de exiſtentia Romæ, ex iuribus adductis.

Cum igitur habeamus tot concordes lectiones Martyrologiorum in tot diuerſis Eccleſiis per eorum Antiſtites longiſſimo tempore approbatas, pleniſſimam probationem tenemus; etenim in rebus antiquiſſimis, fides eſt adhibenda Chroniſtis, & Hiſtoricis, quibus communiter fides data fuit à maioribus, vt obſeruarunt *Leo III.* in Canonizatione *S. Suviberti*, *Ioan. XV.* *in canonizatione S. Vdalrici*, *Alex. III. in canonizatione* S. *Eduardi*, cum alijs exemplis apud Pignat. *t.4.conſ.42.num.29. & n.43.*

in ſi-

in fine ponit pro regula ſtandum eſſe hiſtoriis approbatis ab Eccleſia.

IGnoratur an hæc verba fuerint ex antiquiſſimo Codice antè Othonem ſcripta, & prout iacebant relicta in noua Veſputii editione, neque in hoc, alijſque Martyrologijs excluditur quod è Beneuento Romam non ſit deindè translatum Apoſtoli corpus, cùm ferè ijſdem verbis, quibus vſi ſunt Vſuardus, ac antiquiores antè Othonem hoc æquè excriptum appareat, & obiecto ſatisfacit Ferrarius — *qui alicuius Sancti particulam habet totum corpus habere dicitur; ſæpè etiàm corpore ex vno loco in alium transferri contingit, & dum alius prioris, alius poſterioris loci meminit ſcribendo plura videntur loca eidem corpori aſſignari*. Ferrar. poſt Cat. Sanctorũ in fine.

Hoc autem Martyrologium, ac paritèr Neapolitanum, illa que Beneuenti reprobata ſunt, apparentque ſanctionibus in Romana Eccleſia dudùm probatis, ideoque in Martyrologijs reliquorum, ac in eo iuſſu Pii V. edito, & deindè in Breuiario Romano dicitur expreſsè corpus è Lipari Beneuentum, & deindè Romæ collocatum ſub Othone, cuius decreta conſultiſſimè edita apprimè eſſe colenda planum intèr Catholicos eſt, monetque Gregorius, vt diximus pag. 23.

DISSERTATIONIS LATINÆ.

§. III.

Dantur Summorum Pontificum Conſtitutiones.

N. XIX. PRimus eſt (Z) *Leo IX.* in conſtitutione anni 1053, quæ originaliter ſeruatur Beneventi (& ſic 53. annis poſt pium dolum Beneuentanorum) vbi confirmans omnes gratias per ſuos Præceſ-

ſores Eccleſiæ Beneuentanæ factas, eidem ſubditas fecit Eccleſiam Sipontinam, & S. Michaelis in Monte Gargano, aliaſque quindecim Cathedrales; conceſſitque vſum pallij, cuius munificentiſſimæ conceſſionis cauſam ſic explicauit: *Huic iam ſæpè nominatæ Eccleſiæ Beneuentanæ, &c. vbi pretioſiſſimum Corpus Beatiſſimi Bartholomæi Apoſtoli requieſcit*; & in fine cauſam finalem harum conceſſionum expreſſit: *Vt Sancta Beneuentana Eccleſia, &c. prætioſiſſimis Sanctorum Corporibus ditata B. Bartholomæi Apoſtoli, atque Ianuarij* Mart. *& Barbati Confeſſoris eiuſdem ſedis Glorioſiſſimorum Præſulum, ac reliquorum inuiolabiliter Apoſtolicis priuilegijs ſemper maneat dotata*. Aſſertio autem hæc Papæ motu proprio loquentis de mandacio redargui non poteſt, *Rota deciſ.* 168. *p.* 10. *recent.* quia fuit per modum declarationis poſitiuæ, vt ibi firmatur. Imò expreſſa fuit pro cauſa finali priuilegiorum Metropolitanæ conceſſorum per ly *ut*, poſitum pro ratione conſtitutionis, *Anellus Amatus conſ.* 23. *n.* 7. *& conſ.* 17. *num.* 3. Quòd ſi ſecùs dicere quis vellet, tota corrueret diſpoſitio, & conceſſio. Et inſuper tractatur de veneratione Sacrarum Reliquiarum, in quibus ſtatur authoritati Summi Pontificis, *qui non permittit fideles falſis documentis decipi*, *ex cap.* 2. *de reliquijs, &c.* Tantò magis, quia Papa, hæc aſſerens Beneuenti degebat *Chron. Beneu. Epiſc. Sarnelli f.* 77. *n.* 57. & ſic plenè informatus eſſe potuit, *Rota apud Coccin. deciſ.* 1784. *n.* 59. Quæ motiua fuerunt tàm valida, vt *Vghellius in Italia ſacra tom.* 8. *col.* 120. fateatur ex his depoſuiſſe ſuum dubium, & ad ità aſſentiendum ſe induxiſſe.

N.XX. *Stephanus Papa XI.* alia ſua particulari conſtitutione ſub *datum* 24. *Ianuar.* 1057. in Monte Caſſino (in propinquo cum Ciuitate Beneuentana poſito) ad vnguem confirmauit conſtitutionem *Leonis IX.* ſupèr iuribus conceſſis Archiepiſcopo Beneuentano, bis replicando, prout fecit *Leo IX.* quod Corpus B. Bartholomæi aſſeruabatur in Cathedrali Beneuentana, & quod conceſſio dictorum iurium fiebat pro dote Archiepiſcopa-
tus,

tus, & Ecclesiæ decoratæ à Sancto Corpore Diui Bartholomæi, & assertiones duorum summorum Pontificum sub iisdem verbis, & de diuerso tempore important maiorem firmitatem, *Gratian.discepe* 651. *num.*6. Tantò magisquia geminatio horum verborum facta fuit à *Stephano Papa* in confirmatione specifica concessionis facta per *Leonem IX.*, quo casu da erroneitate facti ampliùs opponi non potest *Card. de Luca de regalib. disc* 3. *n.* 11.

(Z) *LEO* hæc est præcitata Bulla Leonis IX. lata 4 Idus Iulij 1054, atque alia hic profertur Stephano IX. ascripta, quas suspectissimas à Vipera primò vulgatas vberiùs ostendemus, & hæc fortè est potior causa, quarè in his dissertationibus ab Aduersariis non proferatur Viperæ nomen, ne ex eo quòd Modernus sit ingeratur suspicio ab eodem in hoc sæculo confictas fuisse, cuius tantùm quædam exemplaria, non originalia vidit Malcambrunus, vt dixi p 58. & Vghellius Viperam redarguit quòd quæ dã ingenio suo confixerit, vt dicemus in Epitafio Donati.

Et maximum profitemur argumentum, quod Bulla Leonis data asseratur Beneuenti, & Stephani in monte Cassino eiusdem Prouinciæ, & tamen Leo ibidem degens, nullam memoriam de his Bullis recolit, qui (vt optimè fundant P. Gallonius, Ioannes a Boscho, Menardus, Carolus Tremensis, ac Mabillonius) etiam de suppostitijs meminit, vt translationem SS. Corporum Benedicti, & Scholasticæ in Galliam dubiam faceret, quod facit præsumere has Beneuentanorum ad eam ætatem nec latas fuisse, nec adhuc confictas; quod idem dicendum est de Desiderio Abbate ex Beneuentanis, qui rei huius fuisset testis ocularis in suis dialogis, in quibus agens de pluribus ad Beneuentum facientibus, & de miraculis S. Sophiæ, nihil penitùs de Bullis, ac existentia sacri Corporis Beneuenti adiunxisse videmus. Et Falcon qui sæpè agit de S. Bartholomæo hæc omnia penitùs non omisisset si vera fuissent. Idemque Arnaldus, qui refert Bullas Pontificum teste Malcambruno *multa diplomata non apparere*, *de quibus meminit Arnaldus* eodem iure de his meminisset si fuissent, vt paritèr Donatus

 Bene-

Beneuentanus in hymnis, & laudibus Sanctorum; Pontificesque Summi, vt Benedictus XII, Bonifacius IX. &c. de his memoriam retinuissent in priuilegijs de Corpore S. Bartholomæi exaduersò allatis, cum soleant Successores Papæ in his eorum certa scientia non exploratis se referre ad Prædecessores, vt apparet ex originali Bulla à Sausseio relata, ex qua deducitur translatio S. Benedicti, vt suo loco vberius dicemus; & ità Cassinatibus respondit Menardus habens in fundamentum falsitatis Bullarum, quod veteres de his non meminerint, & in proposito P. Papebrochius - *cum coæui de Bullis locuti non sunt apocriphæ censentur non omissuri si sciuissent, scituri autèm si fuissent, & vis argumenti negatiui non est eadem vbique, sed quandoque pro diuersis circumstantiis prægnans, & valida*. Imò huius Bullæ arguitur falsitas, quod Romæ lata dicatur Idibus Iulii, vt ait Mascambrunus; Die 12. Iulii in Vrbe datam anno 1054. indict 5. asserit Vipera, & alibi 4. Idus Iulii anno 1054. inquiens - *hæc omnia referuntur ex Bibliothecæ Beneuentanæ auctoritate, sed in contrarium est auctoritas Breuiarij*.

Annales Aurel. lib. 4. num. 81. pag. 217.

Obser. in mart. Bened. X. Iulii pag. 279.

Papebroc. resp. ad accusat. Sebast. à S. Paulo art. 3. p. 154.

Mascamb. dicta dissert. pag. 12. Vipera dict. Chron. pag. 83. seq.

Vghellus (quem sequuntur recentissimi Beneuentani, quamuis exterum, & quæ ex litteris amicorum plerumque accepit non semel transcribentem) referens post Ostiensem anno LIII. Leonem audita suorum clade *apud Beneuentum degisse à Mense Iulio vsque ad diem 12. Martii*, inquit Bullam latam esse Beneuenti; non exprimit locum hæc dissertatio, in quo data est, nec Bulla, quam ad litteram reddidit I. C. Iannellus, imò nec signum indicatur Leonis, quod non incuriæ tribuendum est in omnibus his dissertationibus sedulò quidem transcriptis, sed potiùs ex informi, & commentitio priuilegio omnia hinc indè accepta fuisse, & eo modo immutata, quo probabilior euaderet suppotititia enarratio; hinc etiam neglectis Viperæ opinionibus, ac Mascambruni, cuius solertia, studioque omnes ferè probationes pro contraria sententia defluxerunt, Recentiores Vghellio Viro extero inhærere maluerunt, addendo

Tom. 9. p. 130.

Iannel. pag. 29. Dissert. lat. pag. 11.

Ost. lib. 2.

Vghel. Tom. 9. pag. 118.

immu-

immutando, & detrahendo, vt videbimus in sequentibus, clarè asserentes Bullam editam Beneuenti anno 1053. fabula siquidèm tanquàm multiplex, & innumeris opinionibus fœcunda ex alia in aliam facilè desiliens, nunc quidèm hoc præsefert, nunc alterum contrasectatur, nec in eo deniquè gradu pedem figit crebris mutationum conuersionibus, ac erroribus exposita; veritas semper eadem sentit, eadem profitetur, ab omni detractione, mendacio, addiectione immunis.

Vipera cum quo transit Mascambrunus dicit insupèr quod Valdericus electus fuit Archiepiscopus existente Beneuenti Leone ann. 1053. & ad eumdem ann. 1054. ab Vrbe missas has litteras Leonis, cui videtur suffragari quod Bulla videtur exarata stylo quo solent mitti litteræ Apostolicæ -- *Valderico Beneuentanæ Ecclesiæ Archiepiscopo*, si anno 1053. acta res esset Beneuenti, probabiliùs legeretur -- *Vlderico electo huius Beneuentanæ Ecclesiæ Archiepiscopo* -. Igitur *te ibi præficientes*, rectius diceret si Beneuenti lata esset -- *te hic præficientes*. *Quidquid eidem Ecclesiæ*, legeretur *huic Ecclesiæ*. Et certè minùs rectè asserit Vghellius -- *litteras Leonis IX. à suo authographo transumptas damus dempto initio*, quod dicit corruptum, (expresè huius verba referens, quæ conferunt ad suæ opinionis fidem,) quandoquidem Vipera ante ipsum testatus sit -- *scripturas esse corrosas*, *& planè consumptas*, Mascambrunus *multa non apparent diplomata suppressa præter dubium*, *non tam iniuria temporum*, *quam Præsulum Romanorum gratia*, *qui sedi præfuerunt Beneuentanæ*, *pauca exemplaria &c.*

Quamuis quod diplomata suppressa sint &c. contēptu magis, quam operosiore responsione dignum videtur, quandoquidem præsumendum non est Episcopos decoris suæ Ecclesiæ adeò immemores, qui etiam Sanctorum Corporum venerationi procurēt malis artibus detrahere, nisi credatur id egisse ne inane vulgus commentitijs priuilegiorum verbis alliceretur ad corporis adorationem, cuius non existentia apud eos, vel præuia visitatione, vel alijs certis fundamentis comperta fuisset.

Et ad-

Et aduertit ſolertiſſimus Papebrochius -- *Bullas mendoſas, & in quibus barbara inſerta ſunt vocabula* ſuſpectiſſimas eſſe, nec ad ea tempora Notarii Apoſtolici ita deprauato dicendi ſtylo vtebantur, vt patet ex Bullario, & ex aliis Bullis a Iannello tranſcriptis, haſque ſimiles Bullas praua latinitate redditas irridet P. Gallonius; In ea quam offert Vipera ad captandam fidem ex antiquo, rudique dicendi ſtylo, barbaræ paſſim dictiones habentur, hæc nimirum *Voldarico* Archiepiſcopo, Recentiores legunt *Vldaricum*, & in ea Stephani IX. *Voldericum* legerat Vghellius. *B. Mariæ ſemper inuictiſſimæ*, ſcribit Iannellus *glorioſiſſimæ, & ſuper eminentiſſimæ*, quæ verba abraſit Celeſtinus, (quo vſus eſt Vghellius) his demptis ſuo arbitrio ſubrogans *in die Apoſtoli Bartholomæi vſum Pallii*, ad magis veriſimiliter reddendam Bullam in his, quæ de S. Bartholomæo narrabantur in eodem diplomate. Inferiùs *S. Petrum de Daddè* corrigunt hi, *de Duddi*, & quia Barbarus videbatur ſenſus *Epiſcopalis ſedes habent* pro Epiſcopio *inſcribunt Epiſcopales ſedes habentur*. Vipera legit *Canonicè inſtituas, & conſeruas, hi conſecres*; Subſequitur *tuo diſponantur ſacro iudicio*, quæ locutio ineptiſſima eſt, apponunt Aduerſarii *ſano iudicio, nullus terminos Archiepiſcopatus detrahere, vt iura ſemper remaneant inconcuſſa*, ſed Aduerſarij inſcribunt *detruncare, vt iura maneant inconvulſa*; in ea Viperæ *Diuino anathemate percuſſus percareat in æternum*; legit Vghellus, *pereat in æternum*, ſubſequitur, *quod nolimus annichiletur*; *Sanctorum Corporibus* Eccleſia dicata *dotatam* exeribunt, ſimilia addentes, vel detrahentes tamquam elutis mendorum notis probabiliora continere videretur præſuppoſitum priuilegium in cuius fide ſuam ſententiam protulit Vghellius. Miror ſanè huius ſententiæ audaciam; pleno calamo diffinit, notas imponit, ſuperadditionibus deturpat, & quod deteriùs eſt, nec veritatem eruit, nec ſinceritatem, imò potiùs implicationes facti profert non vulgares; nam quod omninò patefacit falſitatem, illud eſt, quod Vipera hoc priuilegium dicat ſubſcriptum *per manus Federici Vicedomini* Benarmundi

Vghel. I. C.

Arch

Archicancellarii, qui Archicanc. non reperitur in antiquis monumentis, hinc Vghellius, vt congruerent omnia ſcribit *Vice-Domini Herimanni Vicecancellarii*, *&* *Colonienſis Archiepiſcopi*, quæ omnia omninò differunt inter ſe, vt appareat potiùs quædam ſtudiò nouiter fuiſſe immutata, quam erroneè prius, vel cum aliqua mendoſitate appoſita; Quæ ſingula probat Gallonius in ſuo apologetico de Monachatu S. Gregorii, proſcribens diplomata Zachariæ *ex notis temporis* non probe congruentibus, & ex diuerſitate nominis Notarii; addens, quod tabularium in quo ſimiles reconduntur bullæ, non è archa fidei, vt ſacroſanctum omne affirmare neceſſe ſit, quod in eo reperitur, & qualitatem caractheris Longobardici ait -- *refugium miſerorum*. Vghellius dict. tom. 9. pag. 118 ſeq. Gallon. pag. 54 55. 56.

Mabillonius vbique alioquin diſertiſſimus, hunc Gregorii Monachatum fortè nè videretur conquæſitæ ſuorum gloriæ detrahere in præfatione attingit obiter, & parum fidens opinionibus Ioannis Diaconi, Antonini, ac quorumdam Recentiorum, coæuis, ac grauiſſimis (vt tantæ rei dignitas omninò exigebat) deficientibus argumentis potiùs rem antiquiſſimam diſcutiendam ratus, non relatis Gallonij vindicijs hactenùs inconcuſſis indi geſtam quæſtionem vel relinquit, vel rem ſibi parum arridere enunciat. Mabilon. tom. 1. in præfa. P. Gallon. Congr. Orator. in Monac. Benedict.

Replicabunt Aduerſarij pleraque tranſcriptorum incuriæ tribuenda, ac ipſius Viperæ, ſed hoc verum reputari poſſet, docto priùs de exiſtentia Bullæ originalis præter quam ex aſſertione Vghellij, ac Recentiorum, vt ſæpè laudatus inquit Clariſs. Papebrochius, *&* *vbi ſcriptura ab omni alia ſuſpicione vacaret*, & falſum euincitur aſſertum ex lectura totius operis eiuſdem Viperæ, quod eleganter conſertum iudicauit Vghellius, in quo nullæ, vel raræ reperiuntur mendoſitates, quando ea quæ tranſcribuntur habent veritatis primordium; Veriſimiliùs autem hæc omnia præſumendum eſt tranſcripſiſſe ex mendoſo illo, ac commentitio tranſumpto, (cuius quamuis opinatiuè meminit Vghelius) confecto ab aliquo ex Beneuentanis tempore Arnaldi ad colorandam S. Cor-

poris

poris reperitionem, & ad promerendam ex barbaro ſtylo, mendoſaque elocutione antiquitatis fidem.

Si verò dicendum eſt quædam, vel Viperam, vel alium ex Incolis in corroſis Bullæ locis vel addidiſſe, vel emendaſſe probabiliùs credendum eſt additum quod ſubſequitur de exiſtentia Corporis S. Bartholomæi, & fortè loco, quo legendum eſſet requieuit ſacrum Depoſitum inſcriptum eſt *requieſcit*.

P. Mabillon. de re diplomat. l. 2 cap. 14.

Et in propoſito P. Mabillonius -- *Nedum Bullæ, quod ſint corroſæ, vel aliqua raſura notatæ inefficaces eſſe ad fidem promerendam, ſed etiam ſi deficiant ſigna plumbea de quibus, vti ceperunt Stephanus III., ac Adrianus I.* referens, qualiter cum in quibuſdam Bullis deſiderarentur ſigna plumbea ſuſpectas euaſiſſe.

Mabillon. lib. 6 Coroll. primo.

Bull. Caſs. p. 2. pag. 88.

Et aduerto ad verba *benè valete* in bulla ſuppoſititii Leonis tranſcripta, cum Leo IX. vt ait verſatiſſimus idem P. Mabillonius, *ſemper habeat in Bullis perpetuam in Domino ſalutem*, vt pariter legi in Bullario Caſſinenſi.

Ex quibus, & dicendis infrà promanat reſponſio ad Bullam Stephani IX. lata in Monte Caſſino Kalend. Februarii à nemine ex Antiquis recitata, à Malcambruno nec indicata, nec viſa, quamuis in Bibliotheca modo ſeruari aſſeratur, quæ certè, vt legenti patet deſumpta eſt ad verbum, vt agnouit Vghellius ex ſuppoſita Bulla Leonis IX., ideoque continet eadem vitia.

Additur, huius ſubſcriptiones non modicum differre ab alia inferiùs recitanda, ſi probè verba, modum, ſtylumque conſideres, cum ad euertendam fidem Bullæ aliàs ſuſpectæ quæ ibet leuis animaduerſio ſatis eſſe poſſit.

Hanc ita ſubſcriptam proponunt Aduerſarii Datum *in Monte Caſſino 9. Kal. Februarij per manus Vmberti S. Eccleſiæ Siluæ Candidæ Epiſcopi, & Bibliothecarij S. R. & Apoſtolicæ Sedis Anno Deo propitio, primo Pontificatus SS. Papæ Stephani IX. in dict.* 11.

Par. 2. pag. 92.

In alia Bulla Stephani in Bullario Caſſinenſi habetur -- *Scriptum per manus Gregorij Notarij S. R. Apoſtolicæ Sedis in Menſe Decembris indict.* 11. *Datum in Caſtro Caſſino per manus Humberti S. Eccleſiæ Siluæ Candide &c.*

Hic Stephanus fuit Abbas Montis Caſſini, & in V. Pontificatus menſe ſupponitur edidiſſe bullam in eodem Cœnobio, vbi Beneuentanis finitimis de S. Sede benemerentibus, & de eodem Cœnobio Caſſino, & Monacis iiſdem Conciuibus maluit magis credere, quam contradicere.

Verùm Marius Vipera hoc vnum aſſerit ex hac Bulla, vt paritèr ex aliis antiquioribus, probari cōceſſionem Eccleſiarum, quæ à S. Sede adiungebantur Metropol. & ſic ad alium finem latæ, (quod nolunt intelligere Aduerſarij) in enunciatiuis leuis auctoritatis reputarentur, quatenùs vnquam datæ fuiſſent, nec dicit Stephanum vllam memoriam habuiſſe de Corpore S. Bartholomæi in eodem diplomate, quòd profectò non omiſiſſet ſollicitus proferre omnia pro fundanda corporis exiſtentia, quin nec aperit nomen Archiepiſcopi ad quem litteræ tranſmiſſæ fuerint, nec ad litteram tranſcribit, quod nihil in hac quæſtione conferre conſultò arbitratus ſit.

Cæterùm P. Mabillonius irridet Leonis Bullas *in gratiam Caſſinantium editas* adiecto alicuius Pontificis nomine; & quamuis dixerit -- *quantum firma ſint*, *quæ à Bullis Pontificijs petuntur nemo ignorat* Catholicorum; *quibus, & Summorum Pontificum dignitas venerabilis*, *& auctoritas Sacroſancta*, declarat tamen -- *dummodò ex certa ſcientia data*, *ac legitimæ ſint*, adducens bullam Ioannis VIII. in qua dicitur tranſlatum in Galliam Corpus S. Benedicti, ſicut *manifeſtiſſima conſtat veritate*; quo caſu re cognita Pontificem loquutum, non precibus victum credi poteſt. Mabil. tom. 2. de tranſl. S. Benedict. p. 337.

Et prædictis bullis diſertiùs reſpondit Sauſſeius; Et ſanè cum Romani verſentur in eadem indiuidua quæſtione cum Beneuentanis, vt cum Caſſinantibus Floriacenſes, mirum eſt quantum horum fundamenta in hoc opere non ſemel repetita noſtræ ſententiæ conferre videantur. Sauſſei. Annal. Aurelian. pag. 214. n. 76. & pag. 226. n. 93. lib. 4.

Nec eſt pro Bullis præſumendum, *ſi oppoſitum probetur* ex Scriptoribus, vt innuit P. Papebrochius, *vel ſi ob fundamentum non leue ſuſpicio prudens ingeritur*; quo fundamen- Papeb. dict. art. 3. pag. 113.

damento euertitur vulgaris illa replicatio, quod allegans falsum probare tenetur, cum nobis sufficiat bullas à nemine ex antiquis recitari, consertas esse stylo planè barbaro, quas retulerunt Recentiores inter se plurimùm diffidere, iunctis aliis supra explicatis fundamentis, quibus suspectissimæ censendæ sunt.

Nec me increpent veritatis studiosum nobilissimi Beneuentani, quandoquidem ad hæc proferenda me impulerunt Magni Viri, Romanique ipsi, quibus nauseam peperit, quod facilè Mascambrunus, ac I. C. Iannellus diplomata Pontificia à Baronio integerrimo Scriptore, alijsque laudata, monumenta insignia, inscriptiones patentissimas in Ecclesia Tiberina, ac reliqua omnia suppositita pronuncient, explodant, corrodant, dilacerent, quando manifesta sunt in Vrbe litteratissimis Viris, ipsi verò nouiter in hoc sæculo antiquis omninò Scriptoribus destituti sua priuilegia proferunt, vera probant, concelebrantque in eorum Scriniis tam longè sitis obclusa, quæ potuerunt in alijs sæculis à Regni Scriptoribus facilè confingi.

N. XXI. Ponitur constitutio B*enedicti XII.* data Auenione sub die 4. Maii 1337. qui *Arnaldo de Brusacco* Ordinis Minorum Archiepiscopo Beneuentano facultatem dedit transferendi Corpus B. Bartholomæi ab Ecclesia Cathedrali (vbi pro perpetuò deposito in translatione ab Insula Liparitana repositum extabat) ad aliam Ecclesiam in honorem eiusdem Sancti erectam. Itaut tres Summi (AA) Pontificesexistentiam eiusdem S. Corporis indubitanter asserant. Et *Arnaldus* ipse Ecclesiam Diuo Bartholomæo erectam consecratam voluit sub die 25. Augusti 1338., reliquiasque Divi Bartholomæi à Capsula extraxit, & publicè in Synodo ostendit coram Episcopis Prouinciæ, & suo publico diplomate ita testatus fuit: *Et sub testimonio Dominorum Episcoporum Beneuentanæ Prouinciæ publicatum, & aliarum innumerabilium personarum inuentum est; & ostensum, cum reuerentia debita transtulimus, & recondidimus*; cui assertioni credendum est; ad Epi-

ad (BB) Episcopum namque tùm antè, tùm post Conc. Trident. spectat Reliquias Sanctorum ab Ecclesia receptorum transferre, & approbare, *Fagnan. in cap. cum ex eo num. 5. 6. cum seq. de Reliquiis &c.* maximè effectu sequuto; nam exinde Corpus remansit in Ecclesia Diui Bartholomæi; & concordi, ac vniformi testimonio tot Beneuentanæ Prouinciæ Episcoporum, qui viderunt has Sacras Reliquias, & eorum fidei hac in re standum esse Sacri Canones sanxerunt, vt mox diximus; & numerus testium qualificatorum superat omnem probationem, *Buratt. decis. 143. 349 & 725.*

At vos Aduersarij assurgitis innixi Bullæ Benedicti, an ego inuideo? vel nego ea quæ germana sunt? Sed verba exploremus *Sanè fraternitatis tuæ petitio nobis nupèr exhibita continebat, quod attentè considerans, quod Corpus Beati Bartholomæi Apostoli, quod olim ad tuam Beneventanam Ecclesiam extitisse dicitur miraculosè translatum, & loco indecenti, & minùs idoneo ipsi Ecclesiæ contiguo conseruaretur, & propterea cupiens illud in loco honesto, & honorabili collocari, & nonnullorum aliorum Sanctorum venerandas Reliquias, quæ nimirùm in despectis locis, & minùs idoneis conseruantur, quarè nobis humilitèr supplicasti, vt transferendi ad dictam Ecclesiam Corpus eiusdem Apostoli licentiam concedere dignaremur, nos igitùr Deuotionem, & propositum tuum in hac parte multiplicitèr in Domino commendantes, & illam de tua sinceritate gerentes fiduciam &c.*

Hæc postrema diplomatis verba clarè euincunt nihil certò asseri per Summum Pontificem, sed hunc potiùs annuere supplici libello, ac in Præsulis sinceritate acquiescere. Et quandoque hæc diplomata Episcopis enixè instantibus non denegantur, maximè quod Benedictus ex Monacis Cistercienfibus natione Gallus, Auenione Pontifex renunciatus de permanentia Sacri Corporis in Vrbe non admodum informatus fuit.

Et est animaduersione dignum Arnaldum, qui vnicus Testis est huius permanentiæ Sacri Corporis in locis despectis, de qua nemo alius meminit, vt benignio-

rem Bullam, ſuoque magis negocio proficuam à Pontifice extorqueret, eidem non communicaſſe bullas Prædeceſſorum Leonis, ac Stephanis IX. de quibus ſi tunc extitiſſent, vel Benedictus, vel idem Arnaldus memoriam recoluiſſent, vt diximus; & ferè inualuit ſtylus, vt in rebus antiquis à S. Sede proſpectis, vt plurimum ſe Papæ referant ad Prædeceſſores, vt in eadem Bulla Stephani IX. in augenda Archiepiſcopatus ditione -- *diligentiſſimè priuilegia Prædeceſſorum noſtrorum perſcrutantes*, Sergius IV. *Sicut à Prædeceſſoribus noſtris conceſſum, & confirmatum*, & paſſim ex relatis in Bullario, & eadem Bulla eſt mihi argumento ad comprobandam confictitiam S. Corporis translationem, ſiquidem ex ea elicitur corpus manſiſſe in locis deſpectis, & indecentibus, vt inde colligas nullam famam rei veritate, & integritate ſuffultam à Dignitatibus, & grauibus Viris, nec poſteris traditionem demandatam &c. (vt etiam ex Beneuentanorum Litteratorum ſilentio apparet) de actuali permanentia Sacri Corporis, dum huius Vrna in loco deſpecto poſthabita haberetur à Beneuentanis, quamuis his reliquiæ Apoſtoli Patroni prætioſiſſimæ extitiſſent, ſi fuiſſent, & Decentiori ſemper loco collocandæ. Conſimili argumento arguit Mabillonius Caſſinates, quod diu diſtulerant Corpus S. Benedicti è latebris aris addicere, quod *Sacras reliquias in Gallia aſportatas eſſe haberent perſuaſum*; Sed mirùm ſanè eſt quantùm nocuerit quorumdam diſſidium; negant enim, & quidem cautiùs Beneuentani exiſtentiam Corporis in loco indecenti, & Maſcambrunus *Ciues* inquit -- *in ſubterraneo ſpecu illud condidiſſe, verum poſt aliquot annorum ſpatium, ab ſpecu, in quo Imperatoris metu delituerat in Sacellum, vbi primum colebatur fuit illatum, & æneam portam mirò elaboratam magiſterio fabricarunt Beneuentani, deindè in Sacellum, quod magnificè extructum Apoſtolo dicauit Arnaldus fuit translatum*. Et Vipera, *Corpus Apoſtoli, quod in inſigni Baſilica Genitricis Dei Mariæ, quæ Cathedralis eſt aſſeruabatur, translatum eſt anno* 1338.

Mabillon. to. 2. de transl. S. Benedicti p. 346.

Maſcamb. p. 13

Vipera Chron. Ben. pag. 52.

Verùm omnibus his obſtare viſum nullam extitiſſe

famam

famam permanentiæ Corporis Apoſtoli, quòd nimirum Victor III. Beneuentum venerit, & ibi Synodum celebraverit, & nonnulla memoriæ digna reſtituta ſunt, & tamen ex hoc Pontifice Beneuentano nullum, nec in Dialogis, nec in Bullis Vipera reperire potuit fundamentum, imò ex poſt addit -- *plurimos Pontifices diutiſſimè Beneventi tamquam in tuto, & floridiſſimo diuerſorio eſſe ſæpè commoratos*; Quod anno 1091. Vrbanus alium Synodum confecerit in eadem Ciuitate, tres Synodos pariter ibi celebratos per Paſchalem II. reperit idem Vipera ex Falcone; Caliſtus Papa Beneuentum eſt ingreſſus; *Honorius II. permultos Menſes apud Beneuentum demoratus eſt, & ob ingentem terræmotum cum Cardinalibus pedibus nudis ad Archiepiſcopatum, & deindè ad Eccleſiam S. Leonis Papæ ſe contulit*, vt ex Oſtienſe fundat idem Vipera, tunc certè S. Corpus detectum eſſet vtpotè inſignis Patroni, ſi fuiſſet; *Innocentius cum Rugerio venit Beneuentum, & Eccleſiam B. Virginis, & B. Bartholomæi ingreſſus eſt*. Alexander III. auctore Baronio ibidem Synodum celebrauit; nec tamen ex actis tam antiquis aliquod eruiſtis inſigne monumentum fuiſſe ſemel, vel in Eccleſia, vel in Sacello ænea porta obcluſo, vel in Caua, deſpectiſque locis adoratum Sanctiſſimum Apoſtoli Corpus, cum de Baſilica Beneuentana mentio recolitur; Quin è contra Paſchalem, & Alexandrum crediditſſe Corpus Romæ venerari ſatis oſtendit Cardinalis Baronius ex relatis per eum in ſcriptione Tiberina Paſchalis, actiſque eiuſdem Alexandri in Eccleſia Lateranenſi factis, & in ſcriniis Vaticanis antiquo manuſcripto aſſeruatis, in quibus legitur, vt æquè in Tabula Eccleſiæ Tiberinæ ex antiquiori deducta Alexandrum cum toto Clero ad viſitandum Venerabile Apoſtoli Corpus proceſſiſſe.

Viper. pag. 7.

Oſtien. lib. 4. cap. 89.

Baron. an. 1000 Philip. Rubeus deſcript. Romę de Eccleſia S. Bartholomæi.

Et hoc eodem argumento intrepidè vtuntur ſuperiùs relati aduersùs Caſſinates translationem S. Benedicti minùs quidem æquè negantes, quod Alexander II. fuit Caſſinum, & tamèn Corpus in Gallia venerari Bullis profeſſus ſit.

Sauſſei. Aun. Aurel. lib. 4. pag. 193.

Inſuper Arnaldus nullum attulit ſignum, nec laminæ

minæ (quam antiquiſſimam in recentiori reperitione corporis proponunt Aduerſarij vt dicemus) quo diceretur illud verè, quod collocare voluit in ſua Cappella fuiſſe Corpus S.Bartholomæi; nec membra deſcripſit, cōtractaſſeq; aſſeruit, vt prænoſceretur ex eorum annotatione an eſſet integrum, an Corium, de quo Robertus ait quod eſſet Beneuenti, tunc intactum maneret, an & quæ oſſa deficerent, vt ex aliquo ſigno conijceretur illud verè eſſe Corpus Apoſtoli, ſed tantum dicit in ſua Bulla *Populo oſtendiße Corpus S. Bartholomæi*, quod valet verificari cum clata Capſa Turba, & Epiſcopi benedicerentur; vt nos ſatis probabiliter credere poſſimus, hunc magnum Beneuentanorum Papam reliquias aliorum Beatorum, quorum nomina ignorarentur in magna reliquiarum copia (qua locuples eſt illa Ciuitas) in deſpectis locis poſthabitas S. Bartholomæi denominaſſe, & canonizaſſe, vel inter ipſas commixtas fuiſſe aliquas particulas Corporis S. Bartholomæi, vt Corium in puluerem iam reſolutum, & illud Corpus Apoſtoli prædicaſſe, & legimus in Bibliotheca Floriacenſi -- *Solere fideles venerari piè, ſanctèque Corpus integrum vbi breuis puluiſculus habetur alicuius Sancti, quod eiuſdem ſit virtutis, cuius integrum Corpus*, vt ex ſententia Nazianzeni in Iulianum, & nos aliorum teſtimonio in ſua Sede comprobabimus.

Biblioth. Floriac. pag.372.

(AA) *PONTIFICES*; negamus tres Pontifices id aſſeruiſſe, vidimus ſiquidem Bullas Leonis, ac Stephani non eſſe antiquas, & pluribus vitijs ſcatere, alias verò nihil planè indubitanter firmare, & Papebrochius parum defert Bullis merè enunciatiuè latis.

(BB) *EPISCOPVM*; Valet Præſul ſed præuia cognitione cauſæ, & ex teſtimonijs ſeduló exponendis, exprimendiſque declarare reliquias Sanctorum, & transferre, ſed ignoramus planè, vnde motus ſit Arnaldus, & quibus authenticis ſignis certior factus ad pronunciandum illud verè eſſe Apoſtoli Corpus, quæ planè exigebantur grauiſſima cum hoc tunc veneratum fuiſſe Romæ luce clariùs conſtaret, vndè Præſulis iudicium in antiquis penitùs improbabile exploditur.

Et in-

Et ingeniosissimus Mabillonius reperitioni factæ Cassini prætensi Corporis S. Benedicti obstare ait illam *fuisse neglectam à Scriptoribus illius temporis* clarè quidem profitentibus Corpus Beatissimum in Gallia venerari. Nos quoque Aduersarijs obiicimus Scriptores, qui in eo sæculo vixerunt. Petrarcham, Villanum, Blondum, Æneam Siluium, qui neglecta Arnaldi translatione tantùm inter suos credita Corpus Romæ inesse firmiter crediderunt.

N. XXII. Datur etiam Bulla Clem. VI. anno 1347, in qua concessit indulgentias Ecclesiæ Metropolitanæ, & Capellæ adiunctæ sub sequenti attestatione: *In qua quidem capella Corpus* B. *Bartholomæi Apostoli venerabiliter requiescit*.

N.XXIII. Consonat huius tenori alia Bulla Bonifacii IX. expedita Romæ sub anno 1400.

N.XXIV. Prædictis accedunt duæ aliæ Bullæ Vrbani V. anno 1363. & Pii II. anno 1459. istam existentiam enunciantes; & enunciatiuæ geminatæ in antiquis probationem inducunt, *Gratian. discept.* 554. *n.* 50. maximè quia sunt antiquissimæ, & vltrà centum annos, & à diuersis personis, (maximè summis Pontificibus) *Rota apud Coccin. decis* 911. *num.* 5., nec Summi Pontifices errorem hunc in veneratione sacri Corporis tolerassent; vt rescripsit in simili re *Clem.* 4. Isabellæ Sorori S. Ludovici IX. Regis Galliarum circa sacram Reliquiam capitis S. Pauli sub anno 1268. *Quod si forsitan caput* B. *Pauli Apostoli apud te esse putas, depone conscientiam, ne fallaris, nec ponas scandalum matri tuæ Romanæ Ecclesiæ, quæ deceptionem huiusmodi non æquanimiter toleraret*.

N.XXV. Sergius IV. ann. 1011. Anastasius IV. anno 1157. concesserunt vsum pallii Archiepiscopo Beneuentano, in die festo translationis S. Bartholomæi; Vndè Aduersarii fateri debent Corpus B. Bartholomæi per-

permansisse in Ecclesia Beneuentana; nam festum translationis celebratur in Ecclesia particulari, habetque respectum ad sacras Reliquias, quæ in illa Ecclesia asseruantur. *Fagnan. in cap. cum ex eo num. 23. §. nec obstat, vers. nam respondetur.* Quod si prætensa asportatio ab Othone facta realiter fuisset, dies anniuersaria doloris, non gaudii à Beneuentanis celebranda veniret, vt scripsit D. Hieron. in soph. c. 1. *Vox solemnitatis versa est in planctum: vlulant super cineres sanctuarii, & super altare destructum, & super Ciuitates quondam munitas, & super excelsos angulos templi.*

ALlegant Beneuentani alias Bullas, in quibusdam aiunt concessum vsum pallii Archiepiscopo in die translationis S. Corporis ad Ciuitatem Beneuentanam, inde dicitur in hac dissertatione -- *Festum translationis habet respectum ad Sacras reliquias, quæ in illa Ecclesia asseruantur, nam sublato corpore esset dies anniuersaria dolori non gaudij.*

Respondemus, bullas prædictas intelligi latas in gratiam Beneuentanorum, vsusque pallij, vt moris, elargitus fuit quòd solemni supplicatione festum translationis huius insignis Corporis ab Insula Liparina celebraretur. Pontifices vero in Bullis ad alium finem latis obiter,
Differt. lat. pag. 24. & enunciatiuo modo, vel per verba, *vt dicitur, vt asseritur, vt legere est* Corpus quiescere Beneuenti dixerunt, & ad fouendam supplicis Populi deuotionem, apud quem aliqua Corporis particula remanserit, Corpus (vt in precibus proponebatur) appellare indignati non sunt, & pro nunc omitto an quædam ex Bullis præfatis legitimæ sint, cum non retulerit Mascambrunus, & nemo ex antiquioribus indicauerit, hoc tantum obijciens Papam non esse testem coæuum, nec re discussa firmiter asserere, & Clariss. Papebrochius -- *prudentes*, inquit, *in factis errasse est notorium, & cum narratiua est facti alieni,*
Papebroc. dicto art. 3. num. 109. *quia Pontifex in illa non fundat suam intentionem, vt si crediderit falsæ persuasioni -- De his quæ merè narratiuè, & non assertiuè, & sinè Principis approbatione, & aliorum nomine*

confi-

confitentur Pontifices, si in Bullis referantur nullum prorsùs accipere robur, firmitatem, aut vel minimum punctum probabilitatis -- historijs ne minimum probabilitatis punctum accedere per hoc, quod in sacris Bullis Pontificum inserantur; non enim enunciativæ Papæ vis est eadem in omnibus; nisi Pontifex quædam asserat ex certa scientia; vt Pater Sebastianus à S. Paulo eruditè distinguit. Mot. iuris de exhib. errorum Papebroch. p. 30. 31.

DISSERTATIONIS LATINÆ.

§. IV.

Testimonia Archiepiscoporum Beneuentanorum, & Ladislai Regis Neapolis.

N.XXVI. PRimus fuit (CC) Alfanus III. qui circa annum 1017. in Ecclesia Cantauriensi coram Regina, & innumerabilibus religiosis, iure iurando super hostia consecrata, & sacris Reliquiis id affirmavit, vt dictum est §. 1. *num.* 2.

N.XXVII. Roffridus Archiepiscopus in Concilio Generali Barensi ann. 1098. factum Alfani Archiepiscopi mox memoratum affirmauit interrogatus ab *Eadmero, & Archiepiscopo Cantuariensi*; & confirmauit, ostendendo in dorso suo pluviale donatum ab Archiepiscopo Cantuariensi eidem Alfano *supra* §. 1. *n.* 2.

(CC) *ALFANVS*- De Alphano egimus supra p.46. & esse merum commentum ostendimus, nec patet Roffridum collocutum fuisse cum Eademero, & quod concilio simul conuenerint, & fulgidiori Archiepiscopum cappa ornatum incessisse, nisi eiusdem Angli loco extra suarum enarrationum tramitem lato, nec quidem

improbabiliter (vt diximus pag. 44.) ad Simoniæ notam Præsuli Italico inurendam.

Sique Alphanum asseruisse Beneuenti reperiri Sacrum Corpus credendum nobis est, vtique eadem facilitate qua vendidit Sacram reliquiam, eodem prorsùs dolo iurare ausus fuisset, & permanentiam S. Corporis in ea Ciuitate inter suos vulgare.

N. XXVIII. Romanus Capoferrus in sua Bulla anni 1273. cui titulus est; *Instauratio sodalitatis B. Apostoli* in actis Bibliothecæ Beneuentanæ, & producta ab *Vghellio tom. 8. col. 213.* deplorans direptionem Ciuitatis, & Metropolitanæ factam priùs à Friderico II. anno 1239. & posteà à Carolo I. Andegauensi anno 1265. ita exclamauit: *nec Deum suum timuit Creatorem, nec Sanctos vereri voluit, præcipuè B. Bartholomæum Apostolum, qui in præfata Ciuitate sacratissimum suum Corpus voluit præseruari.*

EX verbis (toto Bullæ tenore per Aduersarios non relato) elicitur olim mansisse sacrum Corpus, nō quod maneret inpræsens: sique quid asseruisset Aduersarii relato verborum tenere annotare non omisissent.

N.XXIX. (DD) *Gulielmus* Archiepiscopus in quodam instrumento publico anni 1346. per acta *Not. Nicolai Sarrilli Neapolit.* in quo vniuit multa beneficia Ecclesiæ S. Bartholomæi, hoc idem testatus fuit. Et quando tractatur de sacrarum Reliquiarum approbatione, iam diximus supra *num.* 21. standum esse attestationibus Episcoporum.

(DD) *GVLIELMVS* -- Hic Archiepiscopus videtur testari sanctum Corpus in eadem Cappella quiescere, quæ tamen assertio cuius verbis concepta sit in omni contextu enarrationis ignoratur, cum relatus non sit tenor totius Scripturæ; Et beneficiorum concessio potuit fieri Ecclesiæ non sacro Corpori, & aliis non concurrentibus indubitatis fundamentis dictum horum Episcoporum (quatenus verificari concedamus)

cum

cùm coæui non sint facilè exploditur, cum credulitati quorundam Beneuentanorum detulerint post tot exacta sæcula, & ignota adhùc est fides Scriptoris Regnicolæ, & nisi aliundè verificetur præuia caracterum confrontatione leuiorem in Curia fidem promeretur.

Insuper aduerto Aduersarios in re adeò insignis claritatis, tàm exigua, & subdubia protulisse testimonia Archiepiscoporum, nulla veterum Beneuentanorum, cum certum sit à translatione Othonis II. siue III. præfuisse in ea Ciuitate ante tempora Arnaldi XXIII. Metropolitanos, quorum nomina leguntur in Chronologia ab ipsis probata inter quos tres Præsules Beatos enunciare non dubitarunt, certè pleniori lumine dignatos, horum autem, reliquorumque silentium clarè ostendit, ad eam ætatem sacras reliquias ab Imperatore ablatas fuisse palàm creditum, non enim, vt in suppostitia Corporis S. Benedicti Cassini existentia respondit Ioannes à Boscho *res adeò celebres ab alijs Authoribus fuißent silentio obvolutæ, quorum nec vnus omninò meminit.* Biblioth. Floriac. p. 388.

N.XXX. Accedit in confirmationem supradictorum (EE) Epistola *Ladislai* Regis Neapolis, qui sub *die sexta Februarij* 1414. *petijt à Donato Aquino* Archiepiscopo, & suis Canonicis sibi concedi brachium, vel aliud membrum Corporis B. Apostoli Barthoiomæi. Vndè Rex indubius erat de existentia Corporis B. Bartholomæi in Ecclesia Beneuentana; & in materia Sacrarum Reliquiarum Sacri Canones firmarunt esse deferendum consilio, licèt non consensui Principis laici, *ex cap. ad nostram de consuet. Fagnan. in cit. cap. cum ex eo num.* 18. 19. *de reliquiis, & venerat. Sanctorum*; quæ quidem Regis assertio hoc loci magis adstringit, quia confirmatur ex sequenti consona responsione Archiepiscopi Beneuentani.

N.XXXI. Epistola responsiua supradicti Archiepiscopi de Aquino facta Regi, clarè dicit, quod

ipſum Sacrum Corpus ſeruabatur tribus clauibus obſeratum, nec Ciues ſine ſcandalo hoc permiſiſſent.

(EE) *EPISTOLA*.Hæc ſunt verba Epiſtolæ. *Reuerende in Christo Pater Conſiliarie, & Venerabiles Viri Oratores, & fideles noſtri dilecti, cum Magnificus Carolus de Melateſtis præcipuus noſter amicus cariſſimus aliquid* B. *Corporis Reliquiarum S. Bartholomæi habere deſideret &c. cumque glorioſi illius Apoſtoli Sanctum ipſum Corpus in ipſa Beneuentana ſeruetur Eccleſia &c. ex illo Corpore aliquod modicum, ſeù brachium ſeù quod R. in Christo Pater ..... Epiſcopus Firmanus Confeſſor noſter dixerit, quod ad Paternitatem ac deuotionem veſtram vna cum* Carolo *Ludouici de Lapis Ambaſiiatore dicti Caroli dilecto præſentialiter deſtinamus, &c.*

Datum in Caſtro Nouo Neapolis die 6. *Februarij* 7. *indictione Anno Domini* 1414. *Ladiſlaus Rex manu propria*. Deficiunt in hac Epiſtola tituli Regis Vngharię, Siciliæ, & Hieruſalem, quæ in aliis Regis huius Epiſtolis paſſim reperies.

Indicat Vipera Epiſtolam inquiens -- *hoc eodem anno* 1414. *ſunt litteræ Ladiſlai*.

Reu. in Chriſto Patri Archiepiſcopo Beneuentano maioris Eccleſiæ, ac Capituli Conſiliario, & fidelibus noſtris dilectis

Ladiſl. Rex Vngbariæ, Hieruſalem, & Siciliæ.

Nullam tamen recolit memoriam Epiſcopi Firmani, proſternitque fidem Epiſtolæ dicens -- *ex eadem Bibliotheca Beneuentana in faſciculo Bullarum -- Donatum de Aquino anno* 1412. *& Aprilis indict.* 5. *morte ſublatum, vt ex Bibliotheca Beneuentana in Codice Emortuali ſignato numero* 148. *& ex ſepultura epitaphio* litteris eorum temporum inciſo, tranſcriptiſque per eundem Viperam

Præſulis egregij requieſcunt oſſa Donati.
Hic tumulata mei; Queror huc pro te Samnis *in æuum*
Alta domus genuit Regni domus inter Aquina
Hunc ſed cum meliùs genuerunt ſtegmata morum
Quid queror ò mortale genus ſi plaſma caducum
Cum mens æterna melior pars gaudeat aura

Cur-

Cursus & annorum, placeat dic versibus illum,
Mille quatringentis decem iungendo duobus
Inter quos annos indictio quinta notatur

Vghellus improbat Viperam quod Vgonem III. *ingenio suo effinxerit*, quando Donatus viuus reperiatur vsque ad annum 1426, in quo cadere ait indictionem 5. & allegat documentum sibi è *Beneuento* missum, proponens corrigendum esse annum eiusdem epitaphii; sed ego magis defero veteri marmoreo Loci monumento, (vt ex metro, ac caracteribus liquet) & Bibliothecæ auctoritati, quam decem scripturis Vghellianis. Idemque Vipera vidisset in Epistola Donati, non Vgonis nomen, valuitque huius Præsulatum etiam suorum traditione explorare; vel potiùs neutri credendum est, cum Vghellius non viso epitaphio longè absens litteris detulerit in his definiendis, ille verò testis domesticus explodatur.

Quibus cum suspecta euaserit Epistola, non omninò inane est argumentum nullatenùs videri verisimile missos Nuncios, inter quos Episcopum Firmanum, ac delegatum Caroli Malatestæ, vbi tutus non fuisset Rex ille de consignatione Reliquiæ, ne eius petitio redderetur inefficax, vt euenisse (nescio quo fundamento) asseritur in supposita Donati Epistola à I. C. Iannello recitata, cum membra huius Apostoli passim reperiantur diffusa, & etiam priuatis Viris missa; siquidem Regi urbanè petenti sinè vlla mora elargita fuisset reliquia à Beneventanis, apud quos memor vigebat metus Ladislao detestabili anathemate interdicto maxima incommoda passam fuisse Ciuitatem, vt prodit Vipera, qui etiam ait mortuo Ladislao hoc anno 1414. sæuiente Martis turbine -- *fuit etiam Beneuentum à Regina Ioanna vi occupatum.*

Ingens paritèr amicitia Ladislai cum Malatesta de qua in eadem Epistola minùs est verisimilis ad ann. 1414, quandoquidem paucis quidem Mensibus antè datam Epistolam Ladislaus expugnata Roma priusquam in morbum incidisset (vt quibusdam placet amatorij veneni lue insanus deprehensus) Marchionem Extensem ad Collen. hist. l 5

Roman-

Romandiolam oppugnandam delegerat indicto acriùs bello, in qua Prouincia dominabantur Carolus, & Andreas Malatesta Ariminensium Domini; & admissa Epistolæ veritate Ladislaus quorundam fama deceptus credendus est quatuor ferè sæculis exactis post asportationem Depositi ad Vrbem, quo casu consilium Regis, qui nec par, nec subpar testis est non attenditur, & cum res sit inter alios acta exploditur.

N.XXXII. Archiepiscopus (FF) Foppa sub die 11. Mensis Iunii 1672. transtulit eamdem capsam ex ære cyprio, sub qua asseruatur Corpus Diui Bartholomæi, à suo sacello tunc posito in capite chori sacræmet Basilicæ, quod ostio ferreo tribus clauibus muniebatur, & reposuit intus altare confessionis dicti Apostoli, quæ confessio sita erat subtus altare maius, ab ipsomet Archiepiscopo nobiliter constructum in Ecclesia Diui Bartholomæi, hodiè ex terremotu collapsa, vt ex publico instrumento per acta Not. Iosephi de Pompeio sub citata die, Mense, & anno. Quod si attestatio vnius Episcopi satis est in probanda identitate Sacrarum Reliquiarum, eò magis in casu nostro, vbi concurrunt testimonia concordantia tot Archiepiscoporum, & Regis; & applicantur iura adducta *num.* 21.

(FF) *FOPPA* Archiepiscopus transtulit Vrnam, cuius autem fuerint membra, an Apostoli, an Barbati non asseruit; sique asseruisset nimis facilis in hisce postremis sæculis detulit traditioni Beneuentanorum, ac reperitioni eiusdem Arnaldi, cum qua informiter facta sinè descriptione membrorum, signorumque pertranseunt quidam ex Successoribus, ne piæ Accolarum credulitati obstitisse videantur in rebus ab eorum ætate longè absentibus, vel quia reliquia eiusdem Apostoli ibidem seruetur, vt ex Roberto, aliisque compertum diximus.

N.XXXIII. Fulciuntur supradicta omnia ex liquescentia probationis ocularis; nam causa terræmotus anni 1688. solo æquata Ecclesia S.Bartholomæi, in qua repo-

reposita fuerat arca ex ære cyprio cum sacro illius Corpore ab Arnaldo Archiepiscopo de anno 1338. cum presentia Episcoporum suffraganeorum, & cum sigillis Episcopalibus impressis, in cera rubra hispanica, & propriè sub altari confessionis, vbi reposuerat Archiepiscopus Foppa, vt dicetur infra, §. 10. *ipsum ergò sacrum Corpus*. Vndè dicendum venit: *quod audiuimus, vidimus, & manus nostræ contrectauerunt*.

Dissertius Iannellius, ac P. Viua eruditè obiiciunt hanc reperitionem, & recognitionem reliquiarum sacri Corporis cura, & consilio Beneuentanorum, coram ipsomet Eminentiss. Cardinali Vrsino, ac magno Episcoporum, Abbatumque conuentu peractam, ad euertendam illam suspicionem simulationum, quas Patrum studium congessit, ne ad ipsis maiorem dolorem inurendum ob suorum fugam sacrum corpus ablatum fuisse videretur; Hi tamen magni Viri non præbent fidem factis antiquis, non constito per antiquam reliquiarum descriptionem, & certa rei tam insignis testimonia, de sacri Corporis identitate, & veritate.

Dissert. lat. pag. 29. Iann. pag. 128. 131. P. Viua Soc. Iesu pag. 6. seq. de Concil. Prou. Beneu.

Hæc habentur ex instrumento diei 7. Februar. 1689. *Arca verò huiusmodi erat nempè ex ære cyprio longitudinis palmorum trium cum dimidio, & digito, latitudinis palmorum duorum dempto quarto, altitudinis palmorum duorum cum dimidio; forma Arcæ oblonga in summitate acuminata. Arca in parte anteriori figuris ex eodem metallo ornata, scilicet figura Saluatoris inter duos Angelos Candelabra manibus gestantes; inferiùs vero figura Diui Bartholemęi inter duos Angelos genuflexos, & thuribula in manibus habentes; & in hac parte duabus seris ferreis muniebatur, nec aperiri poterat, quia claues non reperiebantur; ex parte posteriori ornata tribus Episcoporum figuris infulatorum, & vestibus Pontificalibus indutorum, quorum nomina ignorantur; similiter, & Episcoporum figurę duæ, singulæ in singulis lateribus. Supra Arcam repertę fuere duę statuę parvulę, nempè Beatę Marię Virginis, & Divi Ioannis ex eodem metallo cyprio, necnon duo flores cum pomis, & statuis parvulis eiusdem materię.*

Diss. lat. pag. 26. 27. Iann. pag. 129.

Et ex

Vide pag. 133. Et ex instrumento 1. Augusti 1691. *Aperta eadem capsa cypria obseruatum fuit adesse aliam antiquissimam capsulam, seù Arculam mormoream parùm acuminatam, & circumcircà ab omnibus quatuor lateribus marmoreis incisam liliis; Arcula verò prędicta erat altitudinis palmi vnius, & vnius vncię, longitudinis similiter palmi vnius, & vnciarum trium cum dimidio, latitudinis verò vnciarum decem, alligata cordulis parui fili canapis agglobinatis, pluribus in partibus cursu temporis consumptis, & super iisdem cordulis paruis, videlicet in capite sigilla quinque in cera hispanica, nempè tria magna, & duo parua; necnon alia duo parua sigilla supra eandem per modum* Crucis, *& circumcirca alia sigilla tria magna cum effigie B. M. Virginis, & Archiepiscopi pro tempore cum parua mitra, in quorum vno obseruatum fuit, adesse aliquam Aquilam impressam, cętera verò non poterant dignosci ob temporis vetustatem.*

Diss. lat. p. 41. HAnc periti Ciues, vel Incolæ (testes domestici) prædicarunt antiquum 400. circitèr annorum, Cypriam supra 700, atque omnia congruerent laminas ad eandem capsarum ætatem attrahunt iidem Periti, non tamen congrua ab his assignatur ratio tam longæ vetustatis, cum etiam caractheres antiqui adeò facilè imitentur à Viris versutis, vt cum magno Reipublicæ litteratæ incommodo deficiat in his explorandis iudicium etiam peritissimorum, vt cum Gallonio fundauimus, patetque ad sensum.

Nec aperis Iannelle, si lamina antiquior est annorum 700. idem continens Apostoli nomen, quarè prorsùs ad similem confici procurauerit Arnaldus, siuè alius quisquam? Vndè probas Capsulam reliquias Apostoli recondentem in alia capsa, & à quo, & quando fuisse repositam, cum id nec ipse profiteatur Arnaldus? ita ne fidem adhibes muto laminarum testimonio negligens expendere qua nàm certa, & antiqua descriptioae constet de identitate reliquiarum recens numeratarum? Non controuertimus Arnaldum eruisse è locis despectis reliquias aliorum Beatorum, quorum diues est Basilica

Bene-

Beneuentana. Et ferè sexcentā membrorum petia partim integra, & quædam effracta, quædam magna, & alia valdè magna (vt asseritur in recognitione, Bullaque translationis p. 51.) nunquā possunt vni Corpori Apostoli congruere, & admirationem peperit te ingentes propemodùm nobis longinquis obtulisse ossuum aceruos in arcula vnius palmi (vt dicitur) contentos, & adeò magnificis verbis descriptos.

In quadam Epistola Beneuento missa, mihique à Supremis Viris communicata, putat Aduersarius his obiectis satisfactum, quod falsitas laminarum probanda sit ab allegante, & non adeò magna sint censenda ossa Apostoli recognita, quæ in vasis vitreis exiguæ magnitudinis palam reposita fuerunt in Ecclesia. Hæc autèm replicatio non admodum conferre visa est Viris grauibus, quando numerum membrorum, & magnifica verba, quæ in instrumentis leguntur aliter suadere vidimus, ibi passim *ossa magna*, *ossa valdè magna*; reliquis obiectis superiùs satisfactum est, cum sufficiat quod prudens suspitio ingeratur. Adquid enim laminarum retentio sublato sacro Corpore? quas vtique dedissent Othoni, vt faciliùs deciperetur; eadem prorsùs facilitate qua Bullæ confictæ sunt, eadem laminæ editæ censeri debent, non enim in magna quæstione vbi agitur de laude, & gloria totius Ciuitatis adeò deferendum est laminis plumbeis, ac caractheribus, qui facilè imitantur. Sed quæsò adulemur Peritis loci, si congruunt caractheres cum ijs 10. sæculi, certè lamina 700. annorum confecta esset ad ea tempora Othonis, & ad quid, nisi ad fouendam illam vulgi credulitatem.

Et quamuis ex inopportuno omnium Scriptorum Beneuentanorum silentio visæ sint prorsùs obseptæ de rebus tam procul dissitis inquirendi viæ, tamen ex verisimilibus coniecturis abundè materia præbetur dubitandi in capsula marmorea impressas fuisse figuras B. Mariæ, cuius nomini Basilica dicata est, ac alicuius Archiepiscopi, qui Beati titulo honoraretur, vt S. Barbati, Milonis, Monaldi, & in Vrna asseruante Corpus illius Ar-

chiepiſcopi ad fouendam piam populi credulitatem aliquem Archiepiſcopum repoſuiſſe S. Bartholomæi Reliquiam, vt Corium in puluerem ſolutum, ſiuè aliquam particulam, quæ in eadem, vel in alia Eccleſia, ſeù in domibus priuatorum reconderetur, teſte Theodoreto, & nouiſſimè Il. Ruinart -- *quamuis in aliquo loco per exigua extent reliquiæ communi tamen nomine, & vſu Corpus appellari*, & alibi diximus.

Theod. Epiſt. Ruinart. de perſec. Vandal.

Tandem hæc recognitio inter ſuos peracta, nihil officit iuribus Patrum S. Bartholomæi in Inſula *expreſsè* contradicentibus, meque cunctantem editis ſcripturis, quæ ad huius negotij molem conferre viſæ ſunt acritèr impulerunt ad edendam replicationem; ijdem Patres prædicto anno in feſto Apoſtoli typis demandarunt tranſumptum quarumdam auctoritatum, quas exiſtentiam ſacri Corporis in Inſula fundare opinati ſunt, communicaruntque accedentibus, mirum quidem erat videre eodem anno quot Cardinales, Prælati, exterique ad indulgentiam confluerent, tamquàm omnis homo non obſtantibus his Beneuentanorum recognitionibus firmitèr crederet in Vrbe ſacrum Depoſitum venerari. Inſuper Scriptores plures, qui Vrbis loca deſcribunt hoc anno Iubilæi exiſtentiam (inſiſtenter quidem) ſacri Corporis fundant in Lycaonia, intèr quos eruditiores ſunt nobilis amicus meus Franciſcus Sequanicus, Franciſcus Ficoronius in ſuo celebri M. S. typis edendo antiquitatum Vrbis Dialogis explicatarum. Marcus Antonius Guigues in ſuperioribus quamuis non ſatis laudatus in ſuo libro Romæ cuſo hoc eodem Iubilæi anno, vt indè quiſque cordatus colligere poſſit graues Viros parum tribuere diſsertationibus Beneuentanorum, vel aſſertis Reliquiarum reperitionibus, & Cornelius Frangipanius in d. Apologetico ait, nihil penitùs nocere Iuribus alicui quæſitis, ſi is, vel Scriptores illius temporis apertè contradixerint.

Finaliter Aduerſarij rati noſtram ſententiam penitùs concidiſſe ſuperaddunt -- Perſtringendo itaque omnia iura, inficiari nemo poteſt Eccleſiam Beneuentanam

Diſs. lat. p. 29

verè

verè fuisse conseruatricem Sacri Corporis Diui Bartholomæi ex translatione hùc facta ab Insula Liparitana; vndè dicendum est semper pro ea esse (GG) præsumendum, donec ex aduersò doceatur in contrarium; *ex cap. licèt causam de probat. Rota in recent Dec. 3. num. 1. & apud Coccin. decis. 325. per totam, cum innumeris alijs.* Iura verò, quæ in contrarium adducuntur, nullam adstringunt fidem, vt suprà visum §. 5. *vsque ad* §. 10. Nec etiam potest exaduersò allegari quasi possessio diutina huius Sacri Corporis, quia fuit (HH) contradicentibus semper Beneuentanis, qui proprium habuerunt, & habent titulum, *vt suprà visum est à* §. 1. *vsque ad* §. 5. *Mantica dec. 322. num 3. Post. de manut. obser. 71. num 4. & post tractatum dec. 46. num. 5.* Extrà quod ista quasi possessio exaduersò allegari non potest, quia esset de directo contra (II) Bullas *Leonis IX. & Stephani IX.* de quibus §. 3. *num. 19. & 20.* & diceretur possessio infecta, & nullius considerationis, vt pluriès dixit *Rota apud Postium in cit. tract. obser. 46. n. 4. & seq.* Nec (KK) *Otho* aliquam recepit authenticam de his Sacris Reliquiis à Pontifice Beneuentano; cui soli, & non Principi Laico competit Sac. Reliquias vindicare, & legalizare, (LL) *Fagnan. in cap. cum ex eo n. 18 de reliquiis, &c.* & è contra actus quasi possessorii huius cultus, & venerationis semper apparent continuati pro Beneuentanis, etiam ab iis, qui Romæ fuerunt, vt visum est §. 1. de visitatione (MM) *Suggerii Abbatis, Imperatricis Floridæ, S. Birgittæ num. 3. 4. & 7.* & aliorum.

(GG) *PRÆSVMENDVM.* Beneuentani Corpore Apostoli in manibus Othonis relaxato, eodem facto proprio orbati nullum valent allegare titulum, & omnis præsumptio existentiæ cedit probationibus superiùs pro nostra sententia obfirmatis; pro qua diximus stare testimonium trium Imperatorum, vltra Pontificum acta, Auctorum cateruam, & inconcussa huius veritatis signa, & fundamenta.

(HH) *CONTRADICENTIBVS.* Beneuentanos semper allegasse titulum possessionis adhuc non probarunt

Aduersarij, cum antè Arnaldi suppositam translationem in tot Concilijs (vt diximus p.77.) à supremis Pontificibus in ea Ciuitate cęlebratis quatuor ferè effluxu sæculorum nullum nec extraneum, nec domesticum proferatur testimonium semel in ea Basilica veneratum fuisse tam insigne depositum, quod etiam apud habetes Viros est infallibile argumentum non existentiæ.

(II) *BVLLAS*. Vnica, quæ astruunt Aduersarij adversùs nos fundamenta, sunt Ostiensis, Bulla Leonis, ac Stephani quibus satisfecimus in superioribus, & commenta potiùs quam huius veritatis argumenta ostendimus; vt æquè ea quæ in futurum post tot peractas diligentias obijcient Aduersarij.

(KK) *OTHO* -- Hunc Vrnam recepisse apparet S. Bartholomæi creditam, veneratamque cum tabulis scriptis litteris, Græcis, & Latinis, quibus indicebatur illud esse verum Apostoli corpus teste Roberto; Nec Beneuentani vt ponderat eruditissimus Guigues ausi essent tam magno Principi armis præpotenti ità facilè illudere, & authenticum signum denegare.

(LL) *FAGNANVS* -- Non procedit cum contraria inest probatio, vel prudens suspicio, & quando decreta S. Rituum Congregationis aliter decernunt, quibus visus est non contradixisse Vipera, nec plures supra relati, nam tunc inefficax est authoritas Episcoporum, cum ad S. Sedem spectet de reliquiis Sanctorum pendente quæstione decernere, quæ non gratiam Romanorum quæsiisse putandum est, sed rei veritatem consultissimè exploratam.

(MM) *SVGGERI*. Vidimus pag. 47. 48. nec Suggerium, nec Brigittam, nec Floridam cultum præstitisse Sacro Corpori Apostoli in ea Ciuitate Beneuentana, sed ab his veneratam fuisse Ecclesiam S. Bartholomæi dictam, ex quo contrarium deduximus argumentum non existentiæ Sacri Corporis, quia si credidissent adorassent, sique adorassent expressis Auctorum verbis innotuisset.

DIS-

DISSERTATIONIS LATINÆ.

§. V.

Diluuntur aduerſa.

Euertitur Othonis Friſingenſis authoritas.

(NN) PRobationibus, apertiſque iuribus iam adductis pro permanentia Sacri Corporis Diui Bartholomæi in Eccleſia Beneuentana, non obſtant contraria. Primò, non obſtant ſcripta per (OO) *Othonem* Monachum Ciſtercienſem Epiſcopum *Friſingenſem* defunctum anno 1158. (circà quod tempus ſcripſerat;) qui *lib.6.cap.25. chron.* refert *tranſlationem Beneuento Romam ab Othone II. capto Beneuento factam.* Nam ſcriptor iſte eſt ſimplex relator aſſertionis vulgi Romanorum: *Tradunt Romani*, & iſtis, vtpotè in cauſa propria teſtantibus, non eſt adhibenda fides, licèt eſſet Rex, aut Princeps, vt de communi teſtatur *Farinac. de teſtibus quæſt. 60. num.15.* & adeò verum eſt Friſiugenſem locutum fuiſſe ſub fundamento vanę huius popularis vocis canentis facta, & infecta, quod eius dictum errorum conuincitur in tempore tranſlationis, in perſona transferentis, & in facto ipſius tranſlationis.

I. Errauit ſiquidem in tempore; Nàm *Otho II.* mortuus fuit ann. 983. tranſlatio autem huius Corporis tribuitur facta in anno 1000. teſte *Cardinali* (PP) *Baronio*, qui & pro contraria ſententia àdducitur, quem communiter ſequuntur ad *annum citatum n.6.*

II. Errauit in perſona; Nam tranſlatio ab ipſis aduerſariis ſupponitur facta ab *Othone III.* non ab *Othone II.* & ità tenent (licèt ex erronea ſuppoſitione, vt infrà

infrà dicetur) etiam Imperator *Fridericus I.* Acta Synodalia suppoſita *Alex. PP. III.* & Inſcriptio apocripha, quæ legitur in Eccleſia Tiberina.

III. Errauit in facto. Nàm nullibi legitur (QQ) *Othonem II.* obſediſſe Beneuentum, illudque deuaſtaſſe. Non ſcripſerunt de facto iſto *Hermannus Contractus*, qui ſuas hiſtorias typis dedit anno 1054. Non *Lambertus Schifnaburgenſis* in hiſtoria rerum Germanicarum vſque ad *ann.* 1077. Non *Marianus Scotus*, qui edidit chronicon vſque ad annum 1083. & hi omnes de geſtis ab *Othone II.* toto tempore eius vitæ minutim adnotarunt, & verbum nullum faciunt de direptione Beneuentana, nec de Sacri Corporis Diui Barrholomæi translatione. Nec ea de re minimum quid ſcripſit *Lupus Protoſpada* de rebus in Regno Neapolitano, & bellis exterarum nationum ab anno 860. vſque ad annum 1111. Imò nec Baronius, qui in ſuis annalibus de *Othone II.* plura ſcripſit, verbum aliquod de hac direptione Beneuentana fecit, & quando Hiſtorici ſunt ſibimet contrarii, ſeipſos collidunt, & fides eis non datur, *Farin. de teſtibus quæſt. 65. patr. prim. num.* 2. & 3. Imò nec ipſe *Sigibertus*, qui ad annum 980. ſcripſit *Othonem II.* nauali prælio fuſum, ac natatu, & in ſcapha fugiſſe, minimùm fecit verbum Beneuentanos fuiſſe captos, & direptos. Quod (ſi factum fuiſſet verum) ſub iſto anno ordine chronico Friſingenſis adnotaſſe debuerat; vndè referens illud extrà proprium locum ſuæ narrationis, vltrò liquet ipſum retuliſſe tantummodò *dicta Romanorum*, & fuiſſe loquutum de auditu, quo caſu Authoribus nulla præſtatur fides, *Card. de Luca de donat. diſc.* 35. *num.* 8. & *de iudiciis latiùs*; maximè quia conuincitur pluribus erroribus, *idem de teſtam. diſc.* 13. *num.* 11.

Demonſtratoque erroneo hoc fundamento Friſingenſis, nihil curandum venit de cæteris illius (RR) ſequacibus, qui addiderunt tempus certum translationis, & explicarunt cauſam de direptione Beneuentana ab Othone facta, ex motiuo, quod Romani, & Beneuentani fuiſſent ex acie Othonis profugi, & ſigna deſeruiſ-

ſent,

ſent, & ex hoc motiuo poſteà Beneuentanos adorſus imparatos, Vrbēm cœpit, ſpoliauit, incendit, & reliquias D. Bartholomæi aſportauit, qui ſcriptores ſunt *Goffredus à Viterbo in anno* 1188. *Notarius Corrad. III. & Friderici I. Martinus Polonus in anno* 1281. *Flauius Blondus, Petrus de Natalibus, Iacobus Philippus* Bergomenſis, *Io. Baptiſta Egnatius, Carolus Sigonius, Ioannes Nauclerius,* qui ſcripſerunt in ſæculo XIV; & alii moderniores poſt ipſos. Etenim in danda fide hiſtoriis ea præcipuè attendenda eſt regula, vt ſcilicet dignoſcatur, quis fuerit ſcriptorum anteſignanus; nam error vnius cæteros omnes labefactat, vt ſcripſit *de Rubeis* Prom. fidei in vrbe apud *Mattam de* Canon. *Sanctor. p.4. cap.23. n.8. & 20.*

E contrà verò in hiſtoriis illa eſt tenenda regula, vt (SS) fides detur ſcriptoribus, qui propè euentum ſcripſere, *idem ibidem n.30.* vbi maximè id procedere notatur, ſi ſint plures concordes: Vndè nullatenus eſt ſtandum dictis *Friſingenſis*, qui erroneè ſcripſit, vt viſum eſt, & poſt 150. annos; vel aliis Scriptoribus, qui illum ſunt ſequuti. Idem, *Matta loc. cit. n.20. in fine*, ſed fides ex hiſmet duabus regulis erit præſtanda *Leoni* (TT) *Oſtienſi*, qui ſcripſit circa annum 1087. *lib* 2. *cap* 9. refert factum belli *Othonis II.* eueniſſe in ann. 983. quo tempore cum ingenti claſſe Calabriam cum Saracenis dimicaturus aduenit, ſed diuina permiſſione ſuperatus ab illis, vix euadere potuit. Quorsùm igitur ſomniauit *Friſingenſis*, illiuſque ſectatores, quod bellum fuerit Beneuento inflictum? Nec *Oſtienſis* ipſe antiquiſſimus ſcriptor, & propè tempora huius belli aliquid de direptione Beneventana dicit. Imò ex notatis ab ipſo *Cardinal. Oſtienſi* habetur, quod *Otho II.* poſt fugam ex iſto bello in Ciuitatem Capuæ ſe recepit, & gratiſſimè rependit mortem (VV) Landulfi Principis Beneuentani, & Atenulfi eius fratris in acie defunctorum, nàm firmauit Principatum Beneuentanum Aloaræ viduæ, & filio illius Landenulfo. Igitur *Otho* poſt bellum fuit Beneuentanis beneuolus, & non indignatus. Inſuper eodem tempore in Ciuitate Capuæ menſe Nouembris 983. donauit Cœnobio Sanctæ Sophiæ

Sophiæ Beneuenti existenti quandam Curtem cum Ecclesia B. Mariæ Virginis, vt ex illius diplomate apud Vghellium in *Ital. sac. tom.* 8. *col.* 162. ex solo motiuo expresso, pro Domini amore, suæque animæ remedio, quod fieri non potuisset Ciuitate deuastata. Et ipse (XX) *Sigebertus* memorans *Othonis II.* copias, ad annum 980. Romanos hac occasione victos obseruat, & de Beneuentanis nihil dicit. Sed nec reuera Romani hoc in prælio defecerunt; nam ipse *Sigebertus* dicit, quod in eo bello omnes Romanorum copiæ interfectæ fuerunt. Veriùs tamen cum *Baronio* ad annum 983. dicendum est *Othonem II.* in hoc prælio defecisse ob peccatum, quod Mesburgensem Ecclesiam Sancti Laurentii Episcopali dignitate priuauit, pugnante contrà ipsum S. Laurentio, vt scripsit ipse *Baronius loc. cit n.* 9.

INconcussa quædam fundamenta in superioribus lata agnouerunt quidem, sed ingeniosis argumentis præuertere conati sunt Aduersarii, quæ ex supradictis facilè corruunt.

(NN) *PROBATIONIBVS*. Ex præmissis liquet sententiam Beneuentanorum nullo stabili niti fundamento, & ex conquesitis suspectissimarum Bullarum, & Ostiensis auctoritatibus nullam penitùs oriri probationem, quæque imposterum producentur eodem iure proscribimus, quia si vera, & germana essent, producta iam fuissent in quatuor dissertationibus reuolutis Archivijs, excussisque Bibliothecis, totoque nixu præpotentum Aduersariorum conflatis.

(OO) *OTHO*. Episcopus Frisingensis ex Germanis purè, & simpliciter non gratiam Romanorum, quorum causam procul habuit, sed veritatem in grauissimo opere exquisiuisse apparet, & cum non esset testis ocularis traditione id tutius comprobari asserere potuit; Quin imò hæc eadem traditio inconcussa mansit vsque ad tempora Goffredi, ac Poloni, & inscriptionibus, imaginibus, reique vestigijs notorium facientibus verificata crebuit. Nec Romani censendi sunt adeò gloriæ cupidi, vt fal-

vt falsa pro veris pingant, cum in eorum Ciuitate Reliquiarum magis insignium opulentissima mirabilia Mundi asseruentur; Beneuentani maximè gloriari valuerant pretiosissimum Apostoli Corpus eorum Basilicam continuisse, quo ablato ne illa Ciuitas tanto decore viduata diceretur, & hostes (vt diximus alibi) qui ea diruta ad maiorem dolorem inurendum Corpus substulerunt, non adeò superbirent conuolarunt ad simulationes, Othonem III. illusum, deuictumque ostentantes; Et fatentur omnes Canonistæ standum traditionibus, & Ecclesia in ijsdem innititur, sique aliquid aliud accedat habere vim probationis in antiquis planum est, & fundauimus in dissertatione Apologetica aduersùs Cl. P. Danielem Papebrochium pro comprobanda veritate, & integritate actorum S. Venantii, Sanctique Meletij, ac Sociorum; & Romanorum traditio est pariter ab Ecclesia probata, Scriptoribus ferè omnium sæculorum verificata, suffulta rei signis, de quibus egimus, nec dissentit Cornelius Frangipanius addens *longa, & tenax populi memoria pro veritate habentur, & in psalm. 77. vt cognoscat generatio altera, filij, qui nascentur, & narrabunt filijs suis, nàm rarò falsum inuenitur, quod vniuersi dicunt, & iudicium populi nunquam contemptibile.* Frang. Apolog. in Baron. de Victor. Venet. aduers. Othon. pag. 86. n. 85.

(PP) *BARONIO*. Baronius visa Tyberina inscriptione, eaque non satis perpensa tribuit translationem Othoni III, verum in Martyrologio cum opinione communissima pertransiit, & ab Othone II. depositum allatum *certò* liquidè constare profitetur, & satis diximus Othonem II. illud transtulisse, III verò in Insula collocasse.

(QQ) *OTHONE II.* hunc obsedisse Beneuentum constat ex innumeris Scriptoribus, ipsisque Regni Chronistis superiùs p. 18 23. 24. relatis quod omiserunt Segebertus, Lupus, &c. cum non scripserint de omnibus, & consultò, & pluribus hoc reiicit fundamentum idem Frangipanius; & vis huius argumenti superiùs nobis retorta est in Aduersarios; iidemque obsidionem Othonis III. decepti à Præsbyterio, ac ipsius depulsio-

nem è Beneuento silentio prætererunt, nec aliundè quam fictitio Ostiensis loco probari potest.

(RR) *SEQVACIBVS*. Astipulatur æquè auctoritas grauissimorum Scriptorum, Roberti, Goffredi, Martini, Naucleri, Egnatij, Blondi, Platinæ, Sigonii, Baronii, reliquorumque innumerabilium, quos nullo studio præter veritatis hæc exscripsisse credendum est; Cum his conueniunt testimonia Chronicorum Regni, vt planè factum vbique notorium sit. Hæc autem Auctorum caterua minùs verè inniti asseritur in dicto Frisingensis; horum plerique moram egerunt in Vrbe, & ex signis, tabellis, accessu populorum, scientia ibidem præsidentium Pontificum, miraculisque, nec relata veterum auctoritate hoc ipsum asseruerunt, & Mabillonius probans indubitatam translationem Corporis S. Benedicti plurimum defert extraneis, sique *his faueant vnanimi consensu mediæ ætatis, probique auctores*, & conferunt Regulæ ab Aduersariis præfinitæ -- *credendum est Scriptoribus cum plures contestes sunt; & standum historiis ab Ecclesia probatis*, & plura in proposito affert Frangipanius superiùs laudatus.

Zappullut. Tarcagnotta. Collenucius. Costus. Almaiore.

Mabil. L.C.

Et miror ab Aduersariis adeò facilè in leue habitam Episcopi Frisingensis fidem supra omnes sui temporis historicos integritate laudatissimi, quem insignem doctrina, & nobilitate dicit Bellarminus, Herrigi Imperatoris Nepotem, aliorum operum probatissimum auctorem -- *in Chronicis teste Enea Siluio, qui fuit pius Pontifex, veritatis vsque legem seruauit, & quamuis Federici Patruus esset, non tamen cognatio obstiterit veritati*.

Bellar. de Scrip. Eccle. an. 1100. Vossius de scri. lat. lib. 2. Tritem. de scri. Eccl.

Nec potest alia assignari ratio quare tot celeberrimi Scriptores magis Frisingensi, quam Ostiensi subscripserint, nisi quod non sit credendum auctori eiusdem Prouinciæ, & vt dicunt Aduersarij -- *in ea re aliquo pacto interessati*, vel quod in antiquiori Codice hæc opinio non reperiretur exscripta, quam si vidissent antiqui, vel proscripsissent, vel probassent; Et ne dum minimè verificantur errores ab Aduersariis Frisingensi tributi, quin

Differt. lat. p. 7.

potiùs

potiùs lectiones omninò verisimiles sunt, cum à coæuis potuerit accipere.

(SS) *FIDES*. Si est credendum Scriptoribus, qui propè euentum scripsere, maximè si sint plures concordes, actum est de iuribus Beneuentanorum, qui nullum præter vnicum, & suppositititium Ostiensis locum protulerunt, qui obiit anno 1116, & sic post 130. annos à translatione Sacri Corporis, ad quæ tempora florebat Frisingensis anno 1138. Episcopus nominatus; sed nos loco coæui Scriptoris habemus traditionem Romanorum hucusque incorruptam, & marmoreum Os putei, in quo Figuræ Othonis, ac B. Bartholomæi in eo tempore incisæ adhuc apparent, quod apud graues Viros, quibus ostensum est Os putei est patens, & irrefragabile huius historicæ veritatis fundamentum. Insuper stant loco testis coæui carmina Cappellæ S. Bartholomæi rudi metro antiquorum temporum exscripta; suppleturque huius defectus perantiquis rei signis, ac magno numero Scriptorum, qui nonnisi ex antiquissimis monumentis hoc ipsum didicerunt.

(TT) *OSTIENSI*. Hæc excripsisse ad annum 1087 mihi non patet, imò lectionem in sequioribus sæculis attextam probabile duximus.

(VV) *LANDVLPHVM*. Hunc cecidisse cum Romanis adhùc non satis liquet, sique liberaliter concedendum est, id magis probabiliter euenire putamus dum Beneuentani fugam arripiendo hostes facere audaciores; sique Otho transtulit Principatum in Landenulfum, eodemque anno, vt credit Vghellius, elargitus est Monasterio S. Sophiæ quamdam Curtem cum Ecclesia, hoc ipsum probaret Ciuitatem expugnatam fuisse, & in ipsius ditionem accessisse, & cum Landenulphus longè absens fuerit à pugna, Othonis indulgentia ad regimen euectus est, in desertores verò Beneuentanos à nullo genere iniuriarum temperauit.

(XX) *SEGEBERTVS* non omnia retulit iuxta temporum seriem, recensuit Bellum Othonis II. & quædam omisit, quæ nostræ fauent sententiæ, sicut omnia, quæ illum Aduersariorum fundare potuissent.

DISSERTATIONIS LATINÆ.

§. VI.

Refellitur inscriptio Ecclesiæ Tyberinæ.

INscriptio ista, in qua dicitur in memorata Ecclesia requiescere Corpus Diui Battholomæi, & Paulini, non legitur ibi facta aliqua (YY) authoritate publica: sed solùm *tempore Paschalis II. Papæ, anno Dominicæ incarnationis* 1113. *indictione* 7. *mense Aprilis die* 4. Vndè nullius est fidei, *Pignat. tom.* 4. *consult.*42. *num.*21. & dicendum venit, fuisse factam ab aliqua persona priuata, seù Rectore illius Ecclesiæ, qui nullam adstringit fidem in hac materia, vtpotè concernentem laudem suæ Ecclesiæ, *Farin. de testib. q.*60. *n.*573. iste enim verisimile est, quod potuit scribere sub illa falsa populari Romanorum voce, sub qua scripsit deceptus *Frisingensis, vt in præcedenti* §. *vidimus*. Et hoc est adeò verum, vt de ea inscriptione tamquam fide vacua, (ZZ) nullus *Author* meminerit. Et nec *Fridericus* Imperator in suis litteris datis anno 1167. (quatenùs veræ essent, vt dicemus infrà §.8.) quidquam de ista inscriptione dixit. Nec *Goffredus* à Viterbo, nec *Martinus Polonus*, nec *Egnatius*, nec *Platina*, nec *Sigonius*, nec *Nauclerus*, nec alii Recentiores, qui potiùs contrariantur ipsi inscriptioni; nàm firmarunt translationem fuisse factam ab *Othone II.* non verò ab *Othone III.* vt cantat inscriptio; in quam æquiuocationem *Baronius* ipse in *notis* ad Martyrologium *sub die* 25. *Augusti* lapsus fuit. Accedit quod Cardinalis (AAA) *Ostiensis*, qui eo tempore Romæ versabatur, & scripserat contrarium, vt supra visum est *num.* 1, suam emendasset sententiam, vel Papæ retulisset. Nec si vera fuisset inscriptio ipsa. (BBB) *Suggerius* Abbas S. Dionysii nouennio post, hoc

hoc est anno 1122. Roma Beneuentum venisset ad corpus B. Bartholomæi visitandum, vt supra diximus n. 3. Et *Platina*, & *Ciacconius*, qui res gestas à Paschali II. & consecrationes Ecclesiarum, & reliquiarum inuentarum ab illo factas scripsere, de hac inscriptione verbum nullum fecerunt. Et tot Scriptores Romæ degentes, & qui scire potuissent veritatem huius inscriptionis, & eam non dixerunt, concludunt pernecesse, vel quod inscriptio non aderat, vel quod erat fictitia, & nullius fidei; (CCC) testis enim qui præsens est, & super facto aliquo non deponit, illius rei mendacium indicit, *Farin. de testib. quæst. 66. num. 229.* Et licet modernè (DDD) *Oldoinus in addit. ad Ciacconium* de hac re referat; nihilominùs sinè authoritate loquitur, nec illi credendum est, *De Luca de donat. disc. 61. num. 21.* Et adeò verum est inscriptionem istam fuisset factam sub erronea vulgi credulitate, quia legitur falsa in (EEE) indictione; etenim anno 1113. currebat indictio *sexta*; nam *Ciacconius* refert repositionem corporum SS. Pontiani, Eusebii, & aliorum factam fuisse Romæ anno 1112. sub indictione *quinta*; igitur anno 1113. erat indictio *sexta*, & non *septima*; & ipse Baronius incipit annum 1113. & dicit *indictione sexta*; & falsitas indictionis reddit instrumentum falsum, *Farin. de falsit. quæst. 155. par. 2. num. 19.* Rota coram *Coccin. dec. 101. n. 2.* tantò magis quia hic non agitur de punienda falsitate, sed solùm de fide non adhibenda huiusmodi scripturis.

(YY) *AVCTORITATE*. Inscriptio palam in liminari Ecclesiæ incisa in faciem Principis ad pandendam alicuius rei memoriam facta est publica auctoritate, & ità fermè præsumi ex pluribus ait Frangipanius, quidquid esset dicendum de Inscriptionibus Sepulcralibus, quæ priuata auctoritate factæ dicuntur, & nouum eset in hisce monumentis exprimi illius Principis mandatum, & satis indicit nomen Paschalis sub eodem Principe fuisse palàm incisam, & onus contrarium probandi retorquetur in Aduersarios, & clarè docet Frangipanius -- *Si in aliquo lapide, vel columna inueniatur scriptura fides est*

adhibenda, nam si publicè apparet inducit notorium, & ob id imputandum videtur eidem de cuius praeiudicio agitur, cum non contradixerit; huic fermè nec Ostiensis coaeuus, nec alius ex Beneuentanis contradixit, & modò post quatuor saecula ipsam ad crisim reuocare est Aduersariorum inane diffugium, quia cum sit antiqua per se ipsam se defendit.

(ZZ) *NVLLVS*; Habemus antiqua monumenta in Ecclesia Tyberina, nimirùm duo carmina in superliminari Ecclesiae, quae 300. ferè ab hinc annis in superliminari eodem rudi marmore expressa sunt, nimirum

Quae domus ista gerit, si pignora noscere quaeris
Corpora Paulini sint credas Bartholomaei.

Qui caractheres cum antiqui videantur apparet inscriptionem, & rei notitiam vtpotè verissimam fuisse paritèr in alijs lapidibus expressam; Illam cum nomine Paschalis vidisse testantur Baronius, Oldouinus, Collegium Iesuitarum, Spondanus, vt diximus; Nec Federicus, nec Goffredus, nec Sigonius, aliique solent de inscriptionibus memoriam retinere, sed cum translationi Othonianae subscripserint, vel ex hoc, vel alio patenti, veterique monumento hoc ipsum didicerunt, tribuentes asportationem Sacri Corporis Othoni II. cum Inscriptio loquatur de collocatione, quam ab Othone III. peractam palam est, probatque Baronius in Martyrologio.

(AAA) *OSTIENSIS*. Non probatur anno 1113, siuè ex post moram egisse in Vrbe Leonem Ostiensem, quem ad annum 1110. ait obiisse Bellarminus, & quamvis Marus probet excessisse humanis anno 1115, plures tamen hunc confundunt cum Leone Monacho Cassinensi, qui fuit ab eodem Paschale Cardinalis renunciatus, & quatenùs Mari opinioni subscribamus, Leo non ità facilè in eam sententiam attraxisset Paschalem de his instructissimum, qui ferè coaeuus fuit, vel à coaeuis excepit, & celebrato Beneuenti Concilio gnarus fuerat sacras reliquias ad Vrbem aduectas; Nec Leo affectans Provin-

Descript. Eccl. in Leon. de Viris illus. Cass.

Arnal. Vui lib. vitae pag. 188.

vinciæ, ac Abbatiæ gloriam Reliquijs ſuppoſititii corporis apud ſuos illuſtrioris, vt diximus fidem ſibi conciliaſſet, cum nullam paritèr fidem eidem detulerint Scriptores ſequiorum ſæculorum; & quamuis recentiſſimi Regius, Ferrarius Leonis opinionem referant, vel rem dubiam faciunt, vel potiùs noſtræ ſententiæ inhærere videntur. Et retorqueo argumentum Oſtienſis vidit præcitatam inſcriptionem, nec Pontificem admonuit, quamuis optimè compertum ſibi eſſet gloriæ ſuorum, Monaſterii, Chronicique Caſſienſis plurimum officere monumentum marmore expreſſum, quarè potiùs illud probaſſe cenſendum eſſet, & contrariam enarrationem de Othonis deceptione deindè ſuperadditam fuiſſe.

(BBB) *SVGGERIVS*. De loco Suggerij ſatis diximus pag. 47.

(CCC) *TESTIS*; procedere poſſet ſi Scriptor ille referendi omnes Eccleſiarum inſcriptiones onus aſſumpſiſſet, hac enim non relata aliquod confictionis emanaſſet inditium, niſi ab alijs, probiſque verificaretur, & vulgatum eſt Iuriſperitorum argumentum validum affirmatiuè, quale eſt noſtrum, non autèm negatiuè quale eſt Aduerſariorum.

(DDD) *OLDOINVS*. Baronius, Oldoinus, Spondanus ſe faciunt teſtes oculares; Inſcriptio inciſa fuit in antiquo marmore Eccleſiæ, vt paritèr illa duo carmina ſuperiùs relata, quæ poſt atrij inſtaurationes adhuc manent, & cum ex rudi metro, & qualitate caractherum ſatis liqueat de antiquitate, Oldoinum, ac reliquos temerè loqui dicendum non eſt, ea enim quę in faciem Principis, Populique apponuntur, omnem machinationem excludunt, & notorium pariunt.

(EEE) *INDICTIONE*. Ingens eſt quæſtio, nec adhuc definita inter Annaliſtas de ratione temporum, indictionumque; & peritiſſimus Mabillonius inquit non eſſe ſubtiliter inhærendum in leui indictionis vitio, & Pontifices vſos fuiſſe diuerſa indictione, & ſæpè *legi* 10. *pro* 11. *& in authentico diplomate Innocentij III, quod in Archiuio extat cum plumbo habetur indictio* 9. *pro* 10. Mabil. lib. 6. Corall. 1.

ſique

sique in similibus inhærere quis voluerit, faciliùs plurima barbaræ ætatis subuertet.

DISSERTATIONIS LATINÆ.

§. VII.

Reijcitur testimonium Roberti de Monte.

AVthor iste perduxit *Chronicon Sigiberti* vsque ad annum 1210. quo tempore vixit; & sub anno 1157. refert: *inundatione Tyberis facta non modica Romæ, in quadam Insula eiusdem fluminis in Ecclesiola antiqua inuentum in quodam sarcophago Corpus D. Bartholomæi Apostoli totum integrum, excepto Corio, quod remansit Beneuenti, quando Otho Imperator, capta eadem Ciuitate, Corpus prædicti Apostoli transtulit Romam, sicut tabulæ æreæ demonstrant scriptæ literis Græcis, & Latinis, quæ repertæ fuerunt in Corpore Apostoli: Repertumque est etiam in eadem Ecclesia Corpus S. Paulini Nolani Episcopi*. Quæ quidem narratio, vt suspectæ fidei sit, sufficit, quod sit facta à discipulo Sigiberti; (discipulus enim, qui à discendo dicitur, quæ didicit eructat.) Nihilominùs scatet tot erroribus, quot sunt eius dicta. Quod vt videatur.

I. Dicit euenisse inundationem permaximam Tyberis dicto anno 1157. & tamen *Iacobus Philippus* in Chronicis, & *Michael Zappullus* in Romana historia, qui numerant diligentissimè omnes inundationes Tyberis, de ista nullum faciunt verbum; & sic vera non fuit.

II. Elicitur intergiuersabilis falsitas, quod nempè *inuentum fuit Corpus totum integrum*. Repugnat enim hoc omnium scribentium sensui communitèr recepto, qui firmant in Insula Liparitana omnia illius ossa fuisse à Saracenis dispersa, & à Theodoro Monacho per miraculum admonito, collecta, vt dictum est *num.* 1. Quomodò igitur

igitur Corpus esse poterat integrum? Quod si per (FFF) *integrum Corpus* intellexisset omnia illius ossa, etiam veritati opponitur; nam deerat brachium, quod *Landulphus* Archiepiscopus Beneuentanus dederat anno 962 Bernardo Filio Leoduni Comitis Pennarum, & ab eo in Ecclesia eidem Apostolo Carpineti dedicata in ara maxima collocatum fuit coram *Pendensi*, *Aprutino*, *Teatino*, *Valuensi*, *&* *Marsicano Pontificibus*, vt legitur in *Chron. Carpin. Cœnobii apud Vghellium tom.* 8. *col.* 86. Insuper aliæ Reliquiæ eiusdem B. Apostoli reconditæ sunt in maiori Ecclesia Cassinensi, quando ab *Alexandro PP. II.* dedicata fuit cum assistentia decem Archiepiscoporum, & quadraginta trium Episcoporum ann. 1071. mense Octobris, vt *Ostiensis* est Author *lib.* 3. *cap.* 30. Insuper *Desiderius* Abbas Cassinensis Beneuentanus, (qui posteà fuit Victor PP. III.) condidit in Altare eiusdem Apostoli (cum illius Basilica à Sorano Episcopo eius nutu dicaretur anno 1075. 3. Nonas Ianuarii) partem non exiguam Apostolici Corporis in capsa argentea, teste eodem *Ostiensi lib.* 3. *cap.* 34. Idem quoque Cassinum habebat alias Reliquias B. Apostoli à *Petro Diacono lib.* 4. *cap.* 23. relatas, quas in Ecclesia S. Stephani *Oderisius* Abbas condiderat anno 1103. cum dedicatio fieret. Vndè testimonium *Roberti de Monte* asserentis totum integrum Corpus fuisse inuentum in Ecclesia Insulæ Tyberinæ, falsitatem redolet apertam, vtpotè repugnantem veritati tot gestorum per Archiepiscopum, tot Episcopos, & Abbates. Prætereà Neapoli apud Moniales D. Reginæ Ordinis S. Francisci seruatur pars capitis; Pisis, tùm in Metropolitana, tùm in aliis Ecclesiis nonnulla frustula retinentur. In hac autem Ciuitate Beneuenti potissima parte sumus contenti, nec vnquam integrum Corpus iactauimus.

III. Asserit *Robertus* (GGG) Corium remansisse Beneuenti; Et hoc merum somnium est; quia in Insula Liparitana, à qua Beneuentum fuit Corpus translatatum, legitur tantummodò, Ossa per agros fuisse dispersa, & numquàm de corio fit mentio. Imò stringens *Robertus* in sui

in sui assertione *totum integrum Corpus excepto corio* fuisse inuentum, magis auget suam falsitatem, quia ly: *præter*, includit repertas fuisse Romæ omnes alias partes Corporis Diui Bartholomæi præter pellem, *Menocb. de præsumpt. lib.* 4. *quæst.* 145. *n.* 3. sed hoc repugnat in facto, quia plures Reliquiæ venerantur in pluribus Ecclesiis, vt modò diximus.

IV. Conuincitur *Robertus* de falsitate. Nàm dicit ab (HHH) *Othone* translatum fuisse Sacrum Corpus, capta Vrbe Beneuentana. Quod si intelligat de *Othone II.* iam visum est sub ipso Imperatore factum hoc non euenisse. Si verò intelligat de *Othone III.* neque Hic Beneuentum deuastauit. Et hoc ostenditur primò ex *Leone Ostiensi*, qui nullam facit mentionem armorum in aduentu *Othonis III.* ad Vrbem Beneuentanam. Secundò, Otho iste venit ad Montem Garganum nudis pedibus visitaturus Basilicam S. Michaelis causa pœnitentiæ impositæ, & visitauit Beneuentum, & eandem Ciuitatem remeauit; & hinc, accepto Corpore S. Paulini ex pio dolo Beneuentanorum, discessit; & posteà detecta fraude, Beneuentum (III) obsedit, cumque nihil profecisset ad propria rediit, & in itinere mortuus est, vt legitur in *Ostien. cit. art.* 1. §. 1. Ex quibus falsa colligitur assertio *Roberti* affirmantis, quod *Otho* Imperator capta Ciuitate, transtulit Corpus Apostoli Romam.

Nec assertæ (KKK) laminæ græcis, latinisque literis scriptæ euincunt. Nàm de his laminis nullus *Author* loquitur. Et quatenùs re veræ inuentæ fuissent, illas ab Othone, pia fraude capto, ad fidem suæ deceptæ opinionis positas fuisse dubitare non debemus. Nec inscriptiones, & laminæ istæ veritatem adstruunt (si veræ fuissent) quia authoritas publica in iis deest, *Felin. in cap. causam de probat. num.* 71. & 27. *vbi firmat de communi, & in cap. sanè, il secondo, causa* 24. *quæst.* 2. legitur: *si designant traditorem suum*; & non quòd in rubrica dicitur, sed quòd in corpore scriptum reperitur, illud est tenendum, *Mascard. de probat. concl.* 1290. *num.* 14: & sic aliud nuntiassent Summi (LLL) Pontifices, & Archiepiscopi,

qui

qui sunt veri iudices reliquiarum, & aliud præco, scilicet hæ tabulæ, clamassent.

V. Asserit *Robertus* fuisse etiam ibi inuentum (MMM) corpus B. Paulini Episcopi Nolani. Sed hoc nemo ex Scriptoribus dixit, fuisse nempè ab Othone duo Sacra corpora translata.

Meliùs fecisset, si veritatem dixisset, quod scilicet sacrum Corpus (NNN) *S. Adalberti* martyris Episcopi Prangensis de familia Vrsinorum translatum fuisset Romam ab *Othone*, & repositum anno 1090. in Ecclesia eidem Sancto dicata in Insula Tyberina, vt legitur ex *Baronio anno* 1000. *n.* 5. qui testatur *Othonem* ex fama illius miraculorum petiisse Gnesnam, vbi quiescebat, & transtulisse Romam: Ex qua re fratres S. Francisci, qui hodiè incolunt Ecclesiam ipsam, ostendunt anulum in digito eiusdem Sancti: & forsàn vnum ex illis, quibus deuotè Imperator ornauit illius manus, iuxtà ipsum *Baronium*. Ex quibus elicitur *Robertum* fuisse loquutum cum falso supposito, & propterea illi nullatenùs est credendum, *de Luca de seruit. disc.* 10. *n.* 9.

ROBERTUS grauissimorum operum Scriptor teste Vossio, Segebertum in his, quæ veritati proxima sunt imitatus est. Tyberis exundatio probatur vtique coæui, & à nemine huc vsque in hac lectione improbati Scriptoris fide, & patet accedentibus in Ecclesia Insulæ ab aquis ablui fundamenta ipsius Templi imo loco siti, ideoque prouidè inquit *exundatio non modica*, quæ sufficiens erat ad Ecclesiolam tunc paruam inuadendam, quamquàm non fuisset magna, ex his nimirùm quæ per Vrbem impetum fecerunt, quarum meminit Zappullus.

(FFF) *INTEGRUM*. Corpus *totum integrum* hoc est exundatione intactum, nec dispersum, sed tale quale abstulit Otho, neque enim verborum Interpretatio trahi debet in intellectum absurdum, & hunc Roberti locum explicat Ioannes Seueranus supra relatus -- *repertum est totum integrum sinè vllo pristini status detrimento*; & ossa P. Seuer. de sept. Vrbis Ecclef.

& ossa per Theodorum collecta simul probè connexa valuerunt corpus integrum præseferre, & tale asseri potest in quo non deficiunt Reliquiæ insignes, potioresque. Concedant igitur liberaliter quantùm velint Aduersarij de suppositititio Corpore Apostoli fuisse post Othonis excessum in Cassino, siuè alibi translatas reliquias, quia hoc ipsum apertè indicit non fuisse apud eos in pretio, quas Apostolo deditissimi non adeò prodigè elargiti fuissent, si verè à sacro Corpore auulsæ fuissent post Othonis excessum.

(GGG) *CORIUM*. Hoc fuisse apud Beneuentum relictum ait Robertus, cum idem in visitatione sacri Corporis non appareret, & quia in asportatione alicuius Corporis Sancti solet aliqua eiusdem particula in alia Ecclesia, vel loco seruari, & in hac recenti reperitione Corium prænotatum non est in puluerem probabiliter resolutum, vnde Præsules illorum temporum saltem sinè scrupulo cultum permiserunt; & idem Robertus in his, quæ vidit respectu reperitionis Bartholomæi, & Paulini, vt testis ocularis plenam fidem promeretur, de Corio vt accepit testatus est, vel procedit secundum præmissa.

Sanè non possum verbis exequi qualem Mascambruni tenax ingenium mihi admirationem concitauerit, quandoquidem Corpore Apostoli orbatis Ciuibus decus omne ex Roberti integerrima enarratione effluxit testantis Corium apud eos remansisse à Corpore seiunctum, & ob id posteri de toto corpore saltem sine nota temeritatis gloriantur. Et hoc argumento quæstionem pariter definiunt Floriacenses, & Carolus Tremensis ex inconcussa Pauli fide deducens in Cassino remansisse Carnes in cineres solutas, *Corpus*, inquit, *in Gallia*, *cineres carnis inesse Cassini*, ex quo Monaci totum Corpus habere gloriati sunt.

(HHH) *OTHONE*. Huius obiecti definitio profluit ex his, quæ notauimus Othonem II. Beneuentum flammis, ferroque vastasse, quare Robertus loquens de Othone, qui capta Ciuitate corpus trãstulit, de Othone II intel-

intellexisse fatendum est. De cætero Beneuentum in ditionem Othonis venisse probant quotquot superiùs retulimus.

Nec opitulatur Othonem non armis instantem, sed Garganum nudis pedibus perrexisse, quando ex dictis pag. 40. constat pariter viribus totis institisse, vt Beneuentanos, ac Capuanos cum Romanis ad arma versis in amicitiam contineret, atque à Beneuentanis præpollenti Principi nihil negare audentibus sacrum Paulini depositum accepisse statim, ac liberè eidem datum, vt ex Martino probat Collegium Iesuitarum, & Nuceus in notis. Ciarlantes Sabellicus Æneid. in Othon. Not. ad Ost.

(III) *OBSEDIT*. Othonem obsedisse Beneuentum certè aliundè, quam ex suspectissimo Othonis loco probare tenentur Aduersarij, inane quippè est tam insignis victoriæ vnum proferre domesticum Scriptorem, vt vidimus improbatissimum, & plures ex nostris solo veritatis studio ductos Othonem ad alia facinora intentum indicentes vt mendaces arguere, & satisfecimus supra.

(KKK) *LAMINAE*. Othonem sine authentico signo Corpus S. Bartholomæi à Beneuentanis recepisse improbabiliter asseritur tam in præsenti, quam pag. 30. quia non ità facilè graues Personæ, quæ Augustis assistere solent decipiuntur à subditis ex improuiso petita aliqua re, timore, vel reuerentia adactis; Cum igitur Robertus testis integerrimus, coæuusque iuuetur verisimilitudine, maiorem sibi fidem conciliat, inhærentque Baronius, ac reliqui; estque merum suppositum laminas ad decipiendum Othonem in ea capsa fuisse obclusas, quod nec Ostiensis loco deducitur, sique laminæ aptæ non sunt fidem parere, vt hic præsumunt Aduersarij, ad quid illas ad decipiendum Imperatorem anteferre? Hæc quæstio suppositis de supposito, præsumptis de præsumpto dirimenda non est, sed testibus certis, qui nobis opitulantur.

(LLL) *PONTIFICES*. Non video quinam Pontifices iudicauerint illas Beneuentanorum esse reliquias

S. Bar-

S. Bartholomæi, nisi deferre velimus enunciatiuis Bullarum Leonis, ac Stephani, quas nihil ponere in esse diximus. Ex Archiepiscopis, primus quatuor ferè post sæcula, quod Corpus ablatum fuit Arnaldus è locis despectis ait eruisse vnum corpus, & *inuentum*, sanctique Bartholomæi canonizzauit, & quia vt inquit Tacitus *omne ignotum pro magnifico est*, *& gliscit posteritate* in huius fide, ac Incolarum quorundam credulitate, aliqui ex Successoribus piè quidem corpus inesse Beneuenti enunciare maluerunt, quam Incolis apprimè glorianti-bus contradicere; quæ enunciatiuè, vel nihil certò astruunt, aliis non concurrentibus certis fundamentis, vel pandunt, vt sæpè diximus, quod Beneuenti insit aliqua reliquia, indè Accolæ totum corpus habere affirment.

(MMM) *CORPVS*. S. Paulini Corpus in Lycaonia venerari cum Aduersariis omnes conueniunt, quamvis diffidere videantur, quod tradant liberè Othoni III. petenti relaxatum fuisse, illi autem supponant loco S. Bartholomæi subrogatum, quod falsum apertè euincitur ex supradictis, & patrocinatur Os putei marmorei in Cœnobio Insulæ seruato, in quo antiquissimo monumento ad eam ætatem incisa est Othonis figura cum ea Paulini Episcopi cum Mitrha, ac B. Bartholomæi cum gladio, ex quo manifesta euasit corporum collocatio, fundatque in sua allegatione Apologetica Frangipanius, quod *maior est Imago*, *quam oratio*, *ex eaque induci notorium*; Idemque Otho si deceptus se agnouisset ob id Beneuentanis indicto bello, qua fronte, vel alius quisquam ad ea sæcula figuras Sanctorum in Ecclesia, quam ipse manibus gestat incidi iussit, vel permisit? quinam Templum S. Adalberti, domum exindè S. Bartholomæi denominare ausus fuisset, Cappellis, instaurationibus ornatam, frequentia populorum, stationumque illustrem, quisnam reddidisset, vel prædicasset? Patetque Scriptoribus omnium sæculorum Corpus S. Bartholomæi in Insula recondi, illudque Paulini admittunt Adversarii.

Frang. Apol. in Baron. pag. 11. 17.
Card. Pallot. de Inmg. lib. 1.

Adal-

(NNN) *ADALBERTI*. Othonem detulisse Sacrum Adalberti corpus concedimus Aduersarijs, patetque ex eodem Baronio. Is enim vt Ecclesiam redderet illustriorem, insignes reliquias, Bartholomæi, Paulini, Adalbertique aduexisse manifestum est.

DISSERTATIONIS LATINÆ.

§. VIII.

Euertitur Epistola Friderici I.

HVius Imperatoris authoritate putant Aduersarij suam stabilire sententiam. Etenim ille ann. 1167. cum esset magno exercitu in obsidione almæ Vrbis, dicitur voluisse dubietatem remouere super permanentia Corporis B. Bartholomæi; & Sanctionem edidit, in qua dixit in exordio: *Annales pro inquirenda huiusmodi veritate Prædecessorum nostrorum* (OOO) *Catholicorum reuoluimus, & ipsorum annalium 6. libro inuenimus, qualiter Imperator Otho II venerandum corpus Sanctissimi Apostoli Bartholomæi Beneuento Romam detulerit, & in Insula Lycaonia, & tumba porphyretica gloriosissimè collocauerit.* Insuper confirmauit donationes, quas dixit ab *Othone* memorato eidem Ecclesiæ factas; narrauit alia mox animaduertenda; imposuitque pœnam alitèr dicentibus.

Verùm epistola ista se fictitiam esse clarè suis verbis demonstrat, vtpotè claris facti erroribus scatens

Et in primis, huic Imperatori in hac re sacrosancta, quam fidem quis præstabit, si erat impius, excommunicatus, schismaticus, Oppida depopulabatur, Ecclesias incendebat, Sanctissimum Christi Vicarium Alexandrum III. persequebatur; odio habebat Beneuentanos, quia anno 1167. honorabiliter receperant summum

mum Pontificem *Alexandrum III.* ab ipso hostiliter insecutum, vt fauores daret Antipapæ? Sicuti scripserunt *Anonimus Cassinensis, & Romualdus Florentinus* notati à *Baronio anno* 1002. *num.* 1. Extrà quod Imperatori quantumuis pio, in materia sacrarum reliquiarum aliquid diffinire incapacitas obstat iurisdictionis, *c.* 1. *96. distint. &* 10. *distinct. per totam*, *cap. sol. de maior. & obed.* Et Fridericus hac in re non fuit Author: non iudex: non testis. Non Author; quia non fuit ipse translator in prætensa asportatione Othoniana. Non iudex, quia vindicatio, & identificatio sacratum reliquiarum non pertinet ad Imperatorem, sed ad Episcopum, *Fagn. in cap. cum ex eo n.* 18. *de reliquiis, &c.* Non testis, quia ipse fuit simplex relator narrationis *Frisingensis*, cui innititur citando *lib.* 6. *annalium*, qui locus erroneus est, vt diximus §. 5.

Examinatio autem errorum ipsius epistolæ rem facit clariorem.

Primus error est asserere dubium fuisse super permanentia huius sacri Corporis. Nam si veræ erant attestationes *Roberti de Monte*, & inscriptio in Ecclesia Tyberina, & ipse Imperator pluries Romæ fuerat, & suam diligentiam commemorat, ad quid ampliùs dubium ponere? Attamen fundamentum *Friderici* exprimitur stabilitum ex *lib. annalium lib.* 6. qui locus est *Frisingensis cap.* 25. 26. in superioribus confutati. Vndè corruente fundamento suæ assertionis, assertio ipsa corruat pernecesse est, *De Luca de pens. disc.* 81. *n.* 19.

Secundus error est asserere sacrum hoc Corpus fuisse Romam translatum ab *Othone II.* quæ res in superioribus fuit pro aperto errore demonstrata; & (PPP) *Baronius* pro contraria sententia adductus sub *anno* 1000. *num.* 8. scripsit quod *manifesti erroris redarguuntur illi, qui ab Othone II. id factum esse scripsere.*

Tertius error est, quod Fridericus affirmat (QQQ) Ecclesiam S. Bartholomæi in Insula Tyberina fuisse existentem anno 987. quando certum est fuisse erectam anno 1000. *ab Othone III.* in honorem S. Adalberti martyris,

vt pro-

vt probat *Baronius* ipſe *anno* 1000. *num.* 5. Sed, & inſuper nec comperitur ex aliquo ſcriptore, vel aliquo monimento Othonem donaſſe (RRR) prædia aliqua ipſi Eccleſiæ.

Quartus error eſt, quod *Fridericus* aſſerit *Othonem I.* Romam veniſſe anno 974. Quando *Baronius* memoratus anno 1000. *n.* 5. dicit ipſum fuiſſe defunctum ann. 973.

Quintus error eſt aſſerere, quod *Otho II.* fuiſſet coronatus anno 974. à *Leone* anti-Papa. Quando iſte erat mortuus anno 965. vt legitur apud ipſum *Baronium ann.* 965. *num.* 4. Veritas enim huius facti eſt, quam ſcripſit *Lambertus à Scafnaburgo apud Petavium*, ſcilicet *Othonem II.* fuiſſe coronatum à Ioanne XIII. anno 967. quod etiam comprobatur per bullam ipſius Pontificis allegatam à *Labeo tom.* 9. *concil. col.* 1227. *regiſtratam* in bibliotheca Beneuentana, vbi legitur Eccleſiam Beneuentanam, primam inter omnes Regni, ornatam titulo Archiepiſcopatus, quæ bulla fuit expedita anno 969. Pontificatus Ioannis IV. & ſeptimo anno Othonis maioris, & ſecundo anno Othonis minoris *indictione* 12.

Sextus error eſt aſſerere, quod eodem anno 974. Otho II. fuit matrimonio iunctus cum Teophania. Quando certiſſimum eſt, ipſum fuiſse creatum Imperatorem quatuor annis ante ſuas nuptias, imò *quinque* iuxtà *Sigebertum*; & conuincitur etiam ex aliis apud *Illuſtriſs. Epiſcopum Sarnellium in Chronologia Epiſcopali Beneuentana ad annum* 969. *n.* 52.

Septimus error eſt aſſerere, quod *Otho I.* fuiſset mortuus anno 975. Quando conueniunt grauiſſimi Authores obiiſse anno 975. vt referunt *Ditmarus Epiſcopus Merburgenſis lib.* 2. *Chron. Baronius anno* 953. *num.* 1. *& alij*.

Octauus error eſt aſserere, quod Otho II. obiit anno 984. quando *Ditmarus*, & *Baronius*, & alii ſcriptores firmant ipſum mortuum fuiſse menſe Decembris anno 983.

Nonus, & vltimus error eſt aſserere, quòd mors Othonis III. eueniſset anno 17. ſui Imperii; Quando Baro-

Baronius anno 1001. *n.* 1. dicit iſtum vita functum anno 7. Imperij. Ex quibus dicendum eſt, nullius fidei eſſe has litteras *Friderici* ob tot manifeſtos errores, & concludendum cum *Tatiano* in oratione contra Græcos *Biblioth. PP. t.* 1. *ubi temporum ratio non cohæret, ibi nec hiſtoria quidem vera eſſe poteſt.*

INgenioſiſſima ſanè ſunt hæc argumenta Aduerſariorum, quamuis ea natura ſit veritatis, vt quocumque oppoſitionum pondere preſſa ſemper emergat alacrior.

Plura igitur concurrunt pro veritate conſtitutionis, quòd eadem à Baronio, ac Collegio Romano PP. Ieſuitarum benè viſa reperta eſt integralis (vt modo pariter videre eſt in Archiuiis Caſtri S. Angeli) nullo vitio, vel mendo notata cum omnibus requiſitis, Bulla aurea, ſubſcriptionibus, omnibuſque alijs ad ſibi fide comparendam; Eadem in his quæ conferunt ad exiſtentiam ſacri Corporis apprimè verificatur, tum reſpectu tranſlationis per Othonem II. peractæ, tum quia celebris fama (vt dicitur) id evulgauit, pro qua innumeros Scriptores habemus, qui paritèr comprobant hunc cogitaſſe ſacrum pignus in terram ſuam adducere, nec peregerit vita functus; tum quòd ad ea tempora obierit Adalbertus miraculis inſignis, quodue Otho II. ſanguinarius, alius mirabilia Mundi appellaretur; vt quatenùs aliqua, quæ extrinſecus accedunt, apud Baronium, vel quoſdam Recentiores non ſatis probata ſint, hoc Aduerſarijs anteponimus, Fridericum non fuiſſe nec hiſtoricum, nec Annaliſtam, & nihil de his aſſeruiſſe, præterquam ex magni Friſingenſis fide citato eiuſdem *lib.* 6. *Annalium*, eius verbis fideliter quidem tranſcriptis, qui teſtis ferè coæuus, & ad ea tempora hiſtoricorum Princeps, eſt cæteris anteferendus, & conſtitutio cum nitatur in auctore perſpicuo, non temerè quidem lata cenſenda eſt; In qua rectè dicitur *dubietatem eſſe apud homines*, quia veritas ſemper ſuos habuit obtrectatores, Beneuentanique ne Ciues fuiſſe profugos, direptoſque, ſacroque

cor-

corpore orbatos faterentur hanc famam inter ſuos vulgarunt, ſed contraria celebris fama (de qua in conſtitutione) vbique altas egit radices, in ore omnium verſatur, omnium ſcriptis apparet, innixa teſtimonio tot Pontificum, & trium Imperatorum, Othoni II. qui ſacrum depoſitum tranſtulit; III. qui collocauit, Friderici, qui id in Conſtitutione aſſeruit, accedentibus ſignis, & Inſcriptionibus, ſacrique corporis reperitionibus, vt profectò illaudabile ſit ab ea recedere, & docet Ariſtotiles -- *probabilia ſunt quæ videntur, aut omnibus, aut plurimis, aut certis ſapientibus, aut ijs, vel omnibus, vel plurimis, vel ijs quorum numero ſpectata eſt, & proſpecta ſapientia, & qui hoc nomine clari, atque illuſtres ſunt*; in quorum numero, velint, nolint Aduerſarij ſunt auctores, ac probationes Romanorum. P. Topic. c. I.

(OOO) *IMPERATORI*. Verba Catholicorum noſtrorum Prædeceſſorum ſatis indicunt Fridericum numquam à fide deſciuiſſe, & cauſa Conſtitutionis non fuit odium Beneuentanorum (de quo nullibi patet) ſed veritatis ſtudium, reique tam inſignis, & quod maximè conferebat ad laudem illius Templi Auguſti, ibidem ſpectabile corpus venerari.

(PPP) *BARONIVS*. Mirum eſt quantum Aduerſarii magnificent hanc Baronij opinionem minùs conſultò latam, & noluerint aduertere Baronium in Martyrologio voluiſſe contrariæ opinioni ſubſcribere, & tranſlationem Othoni II. attribuiſſe, & ità certò conſtare aſſeruiſse.

(QQQ) *ECCLESIAM*. Negamus explicitè percipi ex Conſtitutione fuiſſe ad tempora Othonis II. exiſtentem Eccleſiam S. Bartholomæi. Conſtitutionis hæc verba ſunt -- *qualitèr Imperator Otho II. venerandum Corpus Apoſtoli, e Beneuento Romam detulerat, & in Inſula in tumba porphyretica collocauit -- quia verò prædictus Otho Eccleſiam in qua B. Apoſtolus requieſcit multis poſſeſſionibus, & beneficijs ditauit*. Hic autem eſt ſenſus narrationis, quod Otho morte præuentus, cum in Inſula depoſitum reliquerit, illi Eccleſiæ quæ tantum theſaurum reconderet

multa dona attribuit, accidit autem, quod propè locum in quo sita fuit Vrna Apostoli Otho III. nouam Ecclesiam excitauerit (vt Collegium PP. Iesuitarum coniecisse vidimus) ibique S. Bartholomæi ossa collocauerit, cui Templo applicata iure quidem fuerunt prædia ex dono Othonis II.

(RRR) *PRÆDIA.* Quæ æquitas est exigere, vt demonstrentur modo iura prædiorum post septem, & vltra sæculorom effluxum, an ne Scriptores de exiguis hisce iuribus memoriam retinent? cum nemo contradicat definitioni Imperatori, quæ intacta hactenùs seruatur, de omnibus his apertissimè constare fatendum est.

Quod respicit errores magnificentiùs congestos temporum, gestorumque non est præsentis quæstionis, & diximus suprà Fridericum Virum millitarem non esse Annalistam, & nititur in Frisingense, qui à coæuis hæc omnia excipere potuit, & præ cæteris recentioribus fidem meretur; sed quæstio est de veritate Constitutionis, quam integram videant veritatis studiosi in Castro S. Angeli, eaque visa hæc Aduersariorum diffugia, ac subtilitates penitùs concidisse pronunciabunt, quibus cõcedimus liberaliter non spectare ad Imperatorem verificare reliquias, sed ad Pontificem Romanum super re dubia, vel sacram Congregationem, quæ nullum fouet à morè, nec interesse; Episcopus verò Beneuentanus in his quæ augent decorem suæ Ecclesiæ, & aliorũ iura quæsita subvertunt Iudex idoneus non est ad causę definitionẽ, nisi ex confirmatione eiusdẽ Congregationis; & Cõstitutiones Imperiales vtpotè maturè editæ paruifaciendæ non sunt in his, quæ aliquam traditionem, factique veritatem concernere videntur, cum tali casu assertio Imperatoris inducat notorium, nec historia vlteriori indiget probatione; quin ipsi Imperatores plura ad venerationem sacrarum reliquiarum, Ecclesiarumque in Constitutionibus (& habemus in libro Codicis, ff. nouellarum) sanxerunt, quæ plurimum laudat Ecclesia, Orbisque veneratur.

DISSERTATIONIS LATINÆ.

§. IX.

Acta Synodalia Alexandri III., aliaque Bullæ Apostolicæ demonstrantur apocripha.

ADducunt etiam aduersarij pro suæ assertionis fundamento acta (SSS) Concilii celebrati sub Alex. PP. III. Verùm confunduntur, quia sub hoc Pontifice duo solùm fuerunt celebrata Concilia. Primum Lateranense anno 1168. in quo fuit excommunic. Fridericus Barbarossa. Secundum etiam Lateranense, quod est *vndecimum* Oecumenicum anno 1179. extincto schismate, & in neutro istorum, signantèr in secundo (de Patrum ordine scripto à Gulielmo *Archiepiscopo Tirensi*, & à *Rugerio Oveden* in annalibus Anglicanis) quicquam de S. Bartholomæo habetur. Nec (TTT) scheda quædam, vulgò Cartellone, quæ cum *Friderici* litteris in Ecclesia Tyberina posita est, & de actis istis meminit, vllam idem facit. Tùm quia erronea est, nam dicit, Alexandrum III. post (VVV) Missam celebratam consecrasse Ecclesiam; & tamen consecratio iuxtà Pontificale fit antè Missam. Tùm etiam quia dicitur, quod (XXX) legerunt translationem Beneuento Romam factam per Othonem Imperatorem; & aliud monumentum in Ecclesia non erat, nisi supposita littera Friderici Imperatoris edita anno 1167. Vndè non sunt attendendæ authoritates carentes fundamento, *De Luca de tutoribus disc.9. num.4.* Insuper inscriptio ista non legitur facta ex publica authoritate, vt dictum est suprà §.7. num.4. sed facillimè à Rectoribus Ecclesiæ, qui affectauerunt literas (YYY) falsas *Friderici*. Et (ZZZ) *Baronius* ipse diligen-

gentissimè scripsit duo memorata Concilia sub *Alex. III.* ne meminit quidem de S. Bartholomæo; & quamquam ad annum 1000. num. *6.* huiusmodi acta se allaturum promiserit, reuera non attulit. Ex quo fit, vt ea verè non adfuerint, & tamquam apocripha sint censenda. Idemque dicendum est de aliis summorum Pontificum Constitutionibus ab ipso Eminentissimo Baronio allegatis, quia, semper laudandus Author iste, forsan sub alicuius scriptoris fide id fecit, sed posteà illas non habuit, & non produxit. Author enim est intelligendus secundum iura, quæ affert; quod si ea non consistant, nec dictum Authoris stabit, *De Luca locis mox citatis.*

Nec similiter (AAAA) breue *Pii PP. IV.* ann. 1557. quo mandauit Capitulo S. Petri de Vrbe, vt restituerent Fratribus Ecclesiæ S. Bartholomæi Reliquias occasione inundationis Tyberis à dicta Ecclesia ad illam S. Petri translatas, prout iam restitutæ fuerunt, aliquid pro Adversariis stringit; etenim breue ipsum nihil ponit in esse, ob insertas clausulas: *sicut accepimus: dicitur: vt præfertur, Barbosa claus.* 148. 116. 188. Nec in ipso breui exprimitur, illas fuisse Reliquias S. Bartholomæi, sed dicitur generaliter: *Reliquiæ Sanctorum, quæ in dicta Ecclesia erant*, nullam mentionem faciendo de Reliquiis S. Bartholomæi.

(SSS) *CONCILII.* Apparet hæc fuisse acta in Concilio LateranensiII. ad annum 1179. nec credendum est Baronium hanc Ecclesiæ consecrationem nisi ex antiquis monumentis accepisse; Accedunt testimonia Collegij Romani PP. Iesuitarum in notis SS. Abundij, & Abundantij ante opus Baronii excusis, & diximus superiùs; Coincidit Rubeus, qui omnia protestatur eruisse ex antiquis monimentis, probantque plurimi superiùs laudati; Quæ autem extrinseca sint à definitionibus Conciliorum, vt esset veneratio alicuius Corporis sancti, Templique dedicatio quatenùs à Guglielmo omissa dicantur, credenda tamen sunt si ex grauibus Auctoribus affirmantibus verificentur.

SCHE-

(TTT) *SCHEDA*. Non modicæ fuit auctoritatis tabula illa antiqua Ecclesiæ Tyberinæ palam visa in Vrbe propè Aram Apostoli, cum eadem plusquam tribus ab hinc sæculis excripta tradatur, memoriam retinens Alexandrum super corpore Apostoli Missam celebrasse, & osculatum fuisse Corpus S. Bartholomæi, & Paulini Confessoris, & in fasciculo memoriarum præcitato archiuii Vallicellani num. 21. legitur memoria eiusdem antiquę tabulæ, ac eorum, quæ in laudem corporis Apostoli egit Alexander, cuius transumptum habetur in tabula pergamena à vetustiori (vt ibi dicitur oblitterata) fideliter deducta. Acta eadem Alexandri probat Cardinalis Baronius, cuius memoria, & fides tanta Catholici nominis gloria, omnium elogiis, famaque celebrantur, probatque Ecclesia (teste Cidonio) & is conuenit cum indictione, & anno eiusdem tabulæ. Defens. Baron. in præfat.

(VVV) *MISSAM*. Huius fidem nullatenus detrahit, quod dicatur Missæ sacrum Templi dedicationem præcessisse, & in proposito animaduertit præcitatum Collegium Iesuitarum, *consecrationem antiquo ritu fuisse factam*, nec repugnat in supremo Ecclesiæ Pontifice priùs Missam celebrare, & deindè illam Ecclesiam dedicatam pronunciare; Idemque Tabulæ Excriptor non curauit nobis proponere, quæ priùs, & quæ posteriùs egerit Pontifex, imò præfatæ Tabulæ (vt patet etiam in ea transcripta per Iannellum) verba postrema sunt -- *& post Missæ celebritatem Alexander in festo S. Paulini stationem singulis annis concessit*, quasi videatur supponi missam fuisse omnibus actis posteriorem, prætèrquam concessioni dictæ stationis. Iannel. pa. 145

(XXX) *LEGERVNT*. Othonis translatio potuit esse excripta in aliquo alio monumento iniuria temporum deperdito, certè illa tabula, & fasciculum memoriarum Vallicellanæ mihi beneuisa ex antiquo, fidelique documento excripta sunt, & cum nemo ad ea tempora contradixerit omnem sibi comparant fidem. N. 21. Baron. & Thauruf. Lib. memor. PP. S. Barthol.

(YYY) *FALSAS*. Diximus litteras adhùc seruari incorruptas cum Bulla aurea, ac subscriptionibus ab erudi-

erudito viro Canonico Raphaele Fabretto mihi ostensas, & recognitas, nec in Archiuiis Vaticanis falsa documenta diù permanent à diligentissimis Ministris reuisa, quæque manent modo integræ fidei sunt, sique curiositate ductus idem Aduersarius eamdem Constitutionem introspiciat cogetur illam verissimam fateri.

(ZZZ) *BARONIVM*. Baronius consultò quidem hæc acta indicauit anno 1000. de quibus ait suo loco *inferiùs agendum*, cum de iisdem memoriam retinuerit agens de actis Alexandri III. ad annum 1179; quæ ad litteram transcribere, sicut & reliqua expromisisse non liquet præallegato Baronij loco, & nobis in antiquis sufficit gesta per Alexandrum transcripta extitisse in tabula Tiberina, in fasciculo memoriarum Oratorij, & in libro memoriarum Insulæ de quibus suprà.

(AAAA) *BREVE*. Planum est ob Tiberis inundationem fuisse reliquias S. Bartholomæi in Templum S. Petri translatas, vt ex Instrumento probat Martinellus, & causa eiusdem translatiouis fuisse factam solemnem supplicationem expresse fundant Turrigius, Comes, Plaza, & vidimus ex Bulla Sixti, & Diarijs Cardinalis S. Severinæ.

Roma sacra p. 8
Plaza de priuil. Basil. Vat. pag. 100.

DISSERTATIONIS LATINÆ.

§. X.

Satisfit Breuiario, & Martyrologio Romano.

EX lectionibus istis habetur, quod *Corpus Diui Bartholomæi, priùs Albani sepultum, posteà ad Liparam Insulam delatum, indè Beneuentum translatum est, postremò Romam ab Othone III. Imperatore portatum, in Tyberis Insula in Ecclesia eius nomini Deo dicata collooatum fuit*. Verùm lectiones istæ non magis stringunt, quàm authoritates aliarum historiarum superiùs enunciatarum, è quibus lectiones istæ erutæ fuerunt; & corruente antesignano, cætera corruant necesse est; latè *De Luca in conflictu ration. & legis obseru.* 24. Authoritas Romani Breviarij semper, & summè est colenda in rebus pertinentibus ad orationes, & cultus Ecclesiasticos; Cæterùm quò ad facta, & lectiones Sanctorum non sunt pro inconcussis habendæ, vt in terminis *Matta de Canon. Sanct. par.4. cap.20 num.43.44.* & secundum temporum congruitatem ipsas Ecclesia Catholica correxit, & emendavit, vt in *Concil. Trullano de anno 692. can. 63. In Concil. Senensi ann. 1528 celebrato Bononiæ ann. 1536. In Trid. In Rhotomagensi ann. 1581. In Rhemensi ann. 1583. Et Gauantus*, qui fuit vnus ex deputatis in recognitione vltimi Breuiarii *Clementini Vrbani* in *rubrica* Breuiarii *sect. 5. cap. 12. num. 15.* expressè admonet, ibi: *Perdifficile visum est illas ad historiæ veritatem bona fide restituere Sanctorum lectiones &c. quamuis fortassè altera sententia sit à pluribus recepta*; & in dissert. typis data Beneuenti anno 1695. *fol. 74. §. l'idolatria cum seq.* habentur plures æquivocationes hodiè existentes in historijs relatis in Breuia-

rio Clementino, Vrbano, prout etiam apud M*attam loc. cit*. Et ex facto comperitur veritas ista, nam in Breuiariis Romanis impressis anno 1458. 1482. 1545. 1552. 1557. 1561. & 1564. nullatenùs dicitur ossa B. Bartholomæi fuisse transportata Romam, & reposita in Insula Tyberina. Imò Breuiarium anno 1568. approbatum à B. P*io V*. declinauit ab antiqua lectione, quia addidit translationem à Beneuento Romam per hæc verba: *Postremò Romam* (BBB) *ab Othone II. Imperat., Greg V. Pontifice Maximo portatum, in Tyberis Insula in Ecclesia eius nomini Deo dicata collocatum fuit*. Ex quibus duæ claræ colliguntur contradictiones cum lectionibus Breuiarii sub Clemente VIII. Prima, quia in *Clementino* non *Otho II.* sed *III.* ponitur Author transportationis. Secundò, quia dicitur, quod transportatio fuit sub Gregorio V., quem certum est fuisse electum Papam anno *996.* iuxtà B*aronium* eodem anno *num.* 2. & sic tredecim annis post mortem *Othonis II.* qui obiit anno 983, vt suprà visum est; & posteà in Breuiario C*lementino* fuit error iste emendatus, & notata fuit transportatio ab *Othone II.* In quibus variationibus certitudo non subsistit.

Sed, & eiusdem ponderis est lectio illa M*artyrologii Rom*. sub die 25. *Augusti*, in quo idem legitur, quod in Breuiario; & in *cit. discursu* super existentia Corporis Diui Bartholomæi *fol. 79*. §. *così cum seq.* sunt reportatæ aliæ æquiuocationes eiusdem Martyrologii habitæ à B*aronio*. Et ipse B*aron. in epist. data ad Lectorem in* Marty*rologio impresso anno* 1584. sic protestatus fuit: *Homines sumus omnes; nec nobis ipsis tantùm tribuimus, vt nuspiam putemus offendiße*; & Gregor. XIII. super eodem Mar*tyrologio* expressit, fuisse per *eruditos viros ad fidem historiæ &c. correctum, & multis in locis auctum*; & mandavit, *vt* Clerici *hoc vtantur, nulla re addita, mutata, adempta*; sed non prohibuit, quin alii accuratiùs examinarent, vt practicarunt *Ferrar*. laudatissimus modernus, *Olstenius, Castrotornellius de la Puente, doctissimus Petavius, ac* Molanus. *Et* Baronius *ipse* in Annalibus anno 236, *n.* 5. contrà Martyrologium Romanum, & sua smet

adno-

adnotationes ad idem Martyrologium sub die 3. Mensis Iulij non consensit Corpus S. Thomæ Apostoli, saltèm integrum, fuisse translatum Edessam, & per consequens nec Orthonam; Placet transcribere hic §. *integrum* Eminentissimi Authoris, qui licèt ortum habuit in hoc nostro Regno, inficiatur tamen in eodem Regno quiescere duo Apostolorum Corpora hìc Sancti Bartholomæi, Orthonæ S. Thomæ: sequuntur verba: *Fertur hoc anno, bello Persico confecto, translatum fuisse ex India Corpus S. Thomæ Edeßam, sed quod absque antiquorum testimonio tradatur, fides sit apud auctorem. Cæterum haud ipsum integrum transferri permissum certum est; nam Indi adhuc se illud possidere profitentur, quod, & qui res Indicas nostri temporis sunt persecuti, testantur.*

Inquirentes ergo veritatem facti tàm prægrandis, putamus non errare, si lectionibus Breuiarij Romani, & Martyrologii non quiescimus, sequentes consilium sapientissimi Baronii *anno* 302. *num.* 104. ibi: *Cæterum eandem ipsam Romanam Ecclesiam non sicut Euangelium (quod Gelasius monuit) legere consueuisse, vel legenda proponere quælibet SS. acta; sed potiùs ea cuncta Apostolica illa lance libranda relinquere: Omnia probate, quod bonum est tenete.* Ex quibus omnibus concludendum venit debere nos quiescere veritati firmatæ per demonstrationes, Constitutiones tot summorum Pontificum, Archiepiscoporum, & Regis Ladislai testimonia; & quæ in contrarium obstare videntur, aperto niti errore demonstratum est. Imò & standum est oculari demonstrationi factæ Beneventi anno 1338. aperta vrna, visisque sacris Reliquiis coram Episcopis Comprouincialibus, vt suprà diximus *num.* 21.

O Rem sanè in hoc sæculo deplorandam, nostrisque rebus exitialem, dum quidam proprio abundantes in sensu neglectis traditione, Auctorum numero, rei ipsius signis à supremis Ecclesiæ Patribus agnitis, firmatisque, adeò facilè in contrarias sententias impingunt, omnia etsi veritati maximè consona explodentes, nulla

habita ratione non leue ex hoc quoque capite impartiri hæreticis superinsistendi argumentum, & agnouit Gregorius -- *homines præposteros summo studio res nostras explorare, nihil magis in optatis habere, quam vt malorum nostrorum scintilla in flammam aßurgat, cum eam etiam furtim exhibeant, accendant, auræque suæ aflatum in Cœlum attollant.*

Nazianz. orat. 1

Breuiaria antiqua breuiora sunt, ideoque in his pleraque tunc omissa. Fatemur Breuiarium semper summè, & indispensabiliter esse colendum in respicientibus orationes, cultusque Ecclesiasticos, lectiones verò, in quibus historiæ insertæ sunt, quamuis infallibiles dicendæ non sint, tamen maximè veras vbique à Viris Catholicis, ipsaque Ecclesia esse semper habitas, veneratasque, à quibus recedendum non est nisi in contrarium vrgeant repugnantiæ planè inuincibiles, vt nec possibile contrarium esse videatur; & iuxtà sententiam inuictissimi Papebrochij -- *nisi concurrat planè euidens demonstratio*, & Gregorius XIII. significat *fuisse per eruditos viros ad fidem historiæ Martyrologium correctum, mandans vt Clerici hoc putantur nulla re addita, mutata, adempta.*

Martyrologium, ac Breuiarium Romanum raró quidem recessit à latis sententijs nisi ob dissidia Annalistarum, & ad fidem veterum manuscriptorum deindè exploratorum, & ex magna causa docto ex his per demonstrationem rem alitèr se habere, quæ non reperitur in præsenti quæstione, quod Beneuentani nitantur in fundamentis commentitijs, vel minùs validis, quandò sacrum corpus in Vrbe venerari probatur ex Scriptoribus cuiusuis sæculi, ac veritate ipsa collocationis, ac inscriptionibus, in quibus fundantur Ecclesiæ sanctiones perpetuò mansuræ.

(BBB) *OTHONE.* Contrarietates Scriptorum respectu temporis translationis S. Corporis nihil nocet veritati ipsius rei, quæ ex omnibus etsi diffidentibus apparet manifestissima, & ità aduersùs inuertentes rationem temporum translationis S. Benedicti in Galliam vndique auctoribus comprobatam, respondet Carolus Tremensis.

Carol. de Conint. l. c.

Com-

Communior tamen est opinio Othonem II. Romam sacrum Corpus detulisse anno 983. nec contrarium definitur in Martyrologio Clementis VIII. in quo hæc leguntur *ad Liparam Insulam delatum, deindè Beneuentum translatum est, postremò Romam: Ab Othone III. portatum in Tyberis Insula in Ecclesia eius nomine dicata collocatum fuit*. Diffugium Aduersariorum versari potest in subtractione comatis post verba *Postremò Romam*, quasi translatio è Beneuento Othoni III. deferatur, quando Martyrologium loquitur de collocatione in Insulam, quam ab eodem peractam diximus, vel procederet iusta non satis digestam Baronii opinionem in annalibus.

Quod additur extitisseCorpus in Ecclesia S.Bartholomæi dedicata *collocatum* non est errori tribuendum, quia verba stant demonstratiuè, quod nimirùm in Ecclesia eius nominis collocatum veneretur.

Præmissis liquet tum testimonijs Pontificum, Imperatorum, Cardinalium, Religionum, Bullarum, Monumentorum, Inscriptionum, Scriptoribus omnium sæculorum, Corpus S. Bartholomæi inesse Romæ: qui non dicto tantum Veterum inhęrent, sed alijs fulti fundamentis sunt si legas Blondum, Sigonium, Baronium, ac notas PP.Iesuitarum; Beneuentanos verò nullum fovere stabile fundamentum, quia locus Ostiensis attextus est, Bullæ Leonis, ac Stephani XI. si fuissent aliquis meminisset, nec Mascambrunus accerrimæ dissertationis auctor originales omisisset indicare inquiens se tantum exemplaria vidisse scripta manu Viperæ, qui cum esset Vicarius Capitularis huius opus reuisit, & fermè de his, alijsque ori ginalibus, vel transcribendis, vel saltem indicandis hunc admonuisset si extitissent. Cum nec vlla traditio verificari possit de his, ac singulis quæ exaduersò adeò prodigè asseruntur, & tum inopportunum Loci Scriptorum silentium satis aperit Arnaldi credulitatem, vel simulationes, nisi cum Roberto, ac Burlamachio credamus aliquam Beneuenti seruari Apostoli reliquiam; imò con traria patefit probatio cum ipsi obstent Regni Scriptores fundantes Beneuentum direptum ab Othone, & cor-

Ex dissert.Masc.

Burl. lib.2.Vita S.Brigit.

corpus ablatum, & relatis addo Cæſarem, & Beltranum in deſcriptionibus Regni; & quamuis aliqui dicant hæc geſta ſub Othone III, vel ſecuti ſunt Baronium in prima opinione, quam in annalibus tranſcripſerat, vel hi dixerunt Othonem III., Galbæ Succeſſore in numerum relato, & in omnem euentum quouis tempore tam memorabile factum acciderit ſemper omnes hi militant pro inconcuſſis iuribus Romanorum.

Cæſ. Cara. Oct. Beltr. deſcript. Regni.

FINIS.


IN

INDEX MATERIARVM

Studio Rev. Aloysii Antonii Monticelli ordine digestus.

S. Con-

Dynus in Act. S. Venant. p. 1. in fin.



KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967